

The Electronic *Compendium moralium notabilium* Project
(<http://web.wlu.ca/history/cnighman/CMN/index.html>)

Compendium moralium notabilium (from *Epytoma sapientie*, Venice, 1505)

Pars 1, Liber 1: De religione et pertinentibus ad religionem

Commented [CN1]: fol.1ra

De religione et superstitione: Rubrica prima

Tullius de natura deorum libro 1. Sanctitas est scientia colendorum deorum. Idem rethoricorum artis veteris libro 2. capitulo 9. Religio est virtus que superioris cuiusdam nature: quam diuinam notant curam: cerimoniamque affert.

Seneca declamationum libro capitulo 8. Fortuna quos miseros facit: etiam superstitiosos facit.

Ualerius maximus libro 3. titulo de institutis antiquis: Maxilia ciuitas omnibus qui per aliquam religionis simulationem alimenta inertie querunt: clausas portas habet: mendacem et fucosam superstitionem submouendam esse existimans.

Cecilius firmianus de beata vita libro 3. Peccati conscientia et metus pene religiosiorem facit.

De magnificentia et potentia dei: Rubrica 2

Iob hystoria capitulo 9. Dei ire resistere nemo potest. Capitulo 26. Deus ligat aquas in nubibus suis vt non erumpant pariter deorsum. 32. capitulo. Inspiratio omnipotentis dat intelligentiam. Iob domino dixit 42. capitulo et finali. Scio quia omnia potes: et nulla te latet cogitatio.

Psalmistia 3. psalmo. Domini est salus. Idem 32. psalmo. Uerbo domini celi firmati sunt: et spiritu oris eius omnis virtus eorum. 35. psalmo. Iudicia dei abyssus multa. 43. psalmo. Deus nouit abscondita cordis. 89. psalmo. Mille anni ante oculos dei tanquam dies hesterna que preterit. 90. psalmo. Locutio ad dauid. Angelis suis mandauit de te vt custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te ne forte offendas ad lapidem pedem tuum Super aspidem et basiliscum ambulabis: et conculcabis leonem et draconem. 92. psalmo. Firmavit dominus orbem terre qui non commouebitur. 93. psalmo. Dominus scit cogitationes hominum. 101. psalmo. In initio tu domine terram fundasti: et opera manuum tuarum sunt celi. et Celi peribunt tu autem domine permanes: et omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos et mutabuntur: tu autem idem ipse es: et anni tui non deficient. 117. Dominus mihi adiutor: et non timebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi adiutor: et ego despiciam inimicos meos. Bonum est confidere in domino: quam confidere in homine. Bonum est sperare in domino: quam sperare in principibus. 166. psalmo. Dominus soluit compeditos: dominus illuminat cecos: dominus erigit elisos. 167. psalmo. Dominus operit celum nubibus: et parat terre pluuiam.

Commented [CN2]: fol.1rb

Salomon in prouerbiis 21. capitulo. Cor regis in manu domini: quocumque voluerit inclinabit illud. 30. capitulo et finali. Omnis sermo dei ignitus. Idem in ecclesiasto capitulo 8. Sermo dei potestate plenus est. Ait salomon Intellexi quod omnium operum dei nullam possit homo inuenire rationem eorum que sunt sub sole. Et quanto plus laborauerit ad querendum: tanto minus inueniet.

Regum libro 1. capitulo 2. Dominus mortificat et viuificat Dominus pauperem facit et ditat: humiliat et subleuat: suscitatur de puluere egenum: et de stercore eleuat pauperem: vt sedeat cum principibus: et solium glorie teneat. Libro 3. capitulo 28. Noscit solus deus cor filiorum hominum.

Paralippomenon libro 1. capitulo 28. et penultimo. Omnia corda scrutatur dominus: et vniuersas mentium cogitationes intelligit.

Ezechiel propheta 6. capitulo. Non est demonum diuinatio: sed dei iudicium.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo i. Unus est altissimus creator omnipotens: rex potens et metuendus nimis: sedens super thronum sapientie et dominans deus. 10. capitulo. In manu dei potestas hominis.

Mattheus in euangelio 10. capitulo. Apud deum omnia possibilia sunt. Idem dicit marcus 10. capitulo. Idem dicit lucas 18. capitulo

Lucas in euangelio capitulo 12. Time eum qui post quam occiderit habet potestatem mittere in gehennam.

Ioannes in euangelio capitulo 1. Omnia per deum facta sunt: et sine ipso factum est nihil. Idem in apocalipsi capitulo 2. Ait deus: ego sum scrutans corda et renes. Idem in epistola 1. capitulo 3. Maior est dominus corde nostro: et nouit omnia.

Paulus apostolus epistola ad hebreos capitulo 4. Omnia nuda et aperta sunt oculis dei.

Prouerbio vulgare. En poco de hora dio lauora.

De qualitate dei: Rubrica 3

In exodo capitulo 20. Ego sum dominus deus fortis et zelotes.

Psalmista psalmo 7. Dominus iudex iustus: fortis et patiens. Psalmo 17. Protector est deus omnium sperantium in se. Psalmo 24. Fundamentum est dominus omnibus timentium eum. Psalmo 33. Gustate et videte quoniam suavis est dominus. Psalmo 89. Deus iudex est. Idem psalmo 74. Psalmo 85. Tu deus suavis et mitis et multe misericordie es omnibus inuocantibus te. Psalmo 91. Rectus dominus deus noster: et non est iniquitas in eo. Psalmo 117. Confitemini domino quoniam bonus quoniam in seculum misericordia eius. Psalmo 135. Iustus es domine: et rectum iudicium tuum. Psalmo 165. Fidelis dominus in omnibus verbis suis: et sanctus in omnibus operibus suis. Iustus dominus in omnibus viis suis: et sanctus in omnibus operibus suis. Psalmo 166. Deus custodit veritatem in seculum. Dominus diligit iustos.

Phylon vel filemon libro sapientie capitulo 15. Tu deus noster suauis et verus es: patiens et cum misericordia disponens omnia.

Ioannes in euangelio capitulo 1. Deum nemo vidit vnquam. 10. capitulo ait iesus: Ego sum pastor bonus. Capitulo 11. Dixit iesus: Ego sum resurrectio et vita. Capitulo 14. dixit iesus: Ego sum via veritas et vita. Idem in epistola 1. capitulo 4. Deus charitas est.

Commented [CN3]: fol.1va

Paulus apostolus: epistola ad romanos capitulo 3. Est autem deus verax: omnis autem homo mendax. Capitulo 13. Que a deo sunt ordinata sunt. Idem epistola 1. ad corinthios capitulo. 10. Fidelis deus est.

Commented [CN4]: fol.1vb

Boetius de consolatione libro 4. capitulo 9. Quamuis causam tante dispositionis ignores: quoniam tamen bonus mundum rector temperat recte fieri cuncta ne dubites. 11. capitulo. Et si nobis fatalem ordinem minime considerare valentibus confusa omnia conturbataque videantur: nihilominus tamen suus modus ad bonum dirigens cuncta disponit. Naturarum omnium proditor deus idem ad bonum dirigens cuncta disponit.

De munere diuino: Rubrica 4

Psalmistam psalmo 36. Apud dominum gressus hominis diriguntur. 83. psalmo. Gratiam et gloriam dabit dominus. 117. psalmo. Lapidem quem reprobauerunt edificantes: hic factus est in caput anguli. A domino factum est istud: hoc est mirabile in oculis nostris. Hec est dies quam fecit dominus: exultemus et letemur in ea. 147. psalmo. Nisi dominus custodierit ciuitatem: frustra vigilat qui custodit eam. Dominus dat escam vniuerse carni. 166. psalmo. Dominus dat escam esurientibus.

Salomon in prouerbiis capitulo 3. Habe fiduciam in domino ex toto corde: et ne initaris prudentie tue: in omnibus viis tuis cogita illum et ipse diriget gressus tuos. 16. capitulo. Cor hominis disponet viam suam: sed domini est dirigere gressus eius. A domino diriguntur gressus viri: quis autem hominum intelligere potest viam suam. 21. capitulo. Cor regis in manu domini: quocumque voluerit inclinabit illud.

Paralipomenon: libro 2. capitulo 25. Dei est adiuuare et in figura vertere.

Ioannes in euangelio capitulo 6. Ait iesus: Nemo potest venire ad me: nisi pater qui misit me traxerit eum. 14. capitulo. Nemo venit ad patrem nisi per me.

Lucas in actibus apostolorum capitulo 8. Cum vidisset simon magus quia per impositionem manus apostolorum daretur spiritus sanctus: obtulit eis pecuniam dicens: date mihi hanc potestatem: vt cuicumque imposuero manus: accipiat spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum pecunia tua sit tecum in perditionem quoniam donum dei existimasti pecunia possideri.

Commented [CN5]: fol.2ra

Iacobus apostolus epistola vnica capitulo 1. Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est: descendens a patre luminum. 3. capitulo. Que desursum est sapientia: primum quidem pudica est: deinde pacifica: modesta: suadibilis: bonis consentiens: plena misericordia: et fructibus bonis iudicans sine simulatione.

Paulus apostolus epistola prima ad corinthios capitulo 15. Gratia dei sum id quod sum. Idem epistola ad ephesios capitulo 2. Gratia estis saluati per fidem: et hoc non ex vobis. Dei donum est non ex operibus. Idem epistola 2. ad corinthios capitulo 3. Sufficientia nostra ex deo est. Idem epistola ad hebreos capitulo 4. Adeamus cum fiducia ad thronum gratie: vt misericordiam consequamur: et gratiam inueniamus in auxilio opportuno.

Augustinus in epigramatibus prosperi: capitulo 27. Nemo est tam eruditus: nemo tam doctus qui superna illustratione non egeat.

Cassiodorus epistolarum libro 9. capitulo 24. Deo auctore omnia prosperantur. 25. capitulo et finali. Ad omnia redditur habilis quem imbuat doctrina celestis. Libro 10. capitulo 1. Deus consequitur casus asperos in prospera commutare. 31. capitulo. Omnis proeuctus ad deitatis est munera referendus: nec aliquid constat esse bonum: nisi quod ab ipso dignoscitur esse collatum.

Gualterius de castellione libro 2. Parcite victores ingrati viuere summo victori vires: sceptrum diadema triumphus: diuitias dare qui potuit auferre valebit.

De retributione dei: Rubrica 5

Iob hystoria 34. capitulo. Opus hominis reddet ei deus: et iuxta vias singulorum restituet.

In genesi capitulo 4. Nonne si bene egeris recipies.

Psalmista 61. psalmo. Deus reddet vnicuique iuxta opera sua. 149. psalmo. Dominus iustus concidet ceruices peccatorum.

Salomon in prouerbiis capitulo 16. Cum placuerint domino vie hominis inimicos quoque suos conuertet ad pacem. Idem in ecclesiaste capitulo 9. Qui in vno peccauerit multa bona perdet.

Regum libro 1. capitulo 26. Deus retribuet vnicuique secundum iustitiam suam et fidem.

Hieremias propheta in libro prophetiarum capitulo 32. Oculi dei aperti sunt super omnes vias filiorum adam vt reddat vnicuique secundum vias suas et secundum fructum adinventionis eius.

Iesus filius sirach: in ecclesiastico capitulo 1. Deus prebet sapientiam diligentibus se. 18. capitulo. Merces dei manet in eternum.

Mattheus in euangelio. 16. capitulo. Filius hominis venturus est in gloria patris sui cum angelis suis: et tunc reddet vnicuique secundum opera eius.

Marcus in euangelio. capitulo 4. In qua mensura mensi fueritis: remetietur vobis.

Ioannes in apocalipsi capitulo 2. Ait deus: dabo vnicuique vestrum secundum opera vestra. 22. et finali. Ait deus: Venio cito et merces mea mecum est reddere vnicuique secundum opera sua.

Paulus apostolus epistola 1. ad corinthios 3. Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. 13. capitulo. Si quis ignorat ignorabitur. Idem epistola ad ephesios capitulo 6. et finali. Unusquisque quodcumque bonum fecerit: hoc percipiet a domino.

Cassiodorus epistolarum libro 10. capitulo 16. Remunerator est bonorum omnium deus.

De iustitia et iudicio dei: Rubrica 6

Commented [CN6]: fol.2rb

Iob hystoria capitulo 5. Deus ponit humiles in sublime: et merentes erigit sospitate. Deus dissipat cogitationes malignorum ne possint implere manus eorum quod ceperant. Dominus apprehendit sapientes in astutia eorum et consilium prauorum dissipat. 34. capitulo. Opus hominis reddet ei deus et iuxta vias singulorum restituat. Deus regnare facit hypocritam propter peccata populi.

In genesi capitulo 4. Nonne si bene egeris recipies: si autem male: statim in foribus peccatum aderit.

Psalmista 5. psalmo. Non deus volens iniquitatem tu es. 7. psalmo. Dominus iudex iustus fortis et patiens. 18. Iudicia domini vera iustificata in semetipsa. Desiderabilia super aurum et lapidem preciosum multum: et dulciora super mel et fauam. 49. psalmo. Deus iudex est. Idem psalmo 74. 61. psalmo. Deus reddet unicuique iuxta opera sua. 91. psalmo. Rectus dominus deus noster: et non est iniquitas in eo. 102. psalmo. Faciens est misericordias dominus: et iudicium omnibus iniuriam patientibus. 118. psalmo. Iustus es domine: et rectum iudicium tuum. 149. psalmo. Dominus iustus concidet ceruices peccatorum. 160. psalmo. Faciet dominus iudicium inopis et vindictam pauperum. 142. psalmo. Daudid. Non intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. 165. psalmo. Iustus dominus in omnibus viis suis: et sanctus in omnibus operibus suis. 166. psalmo. Deus facit iudicium iniuriam patientibus.

Salomon in prouerbiis capitulo. 5. Respicit dominus vias hominis: et omnes gressus illius considerat. 11. Non proderunt diuitie in die ultionis. Iustitia autem liberabit a morte. 15. capitulo. In omni loco oculi domini contemplantur bonos et malos. Infernus et perditio coram domino: quanto magis corda filiorum hominum. 16. capitulo. Omnes vias hominum patent oculis domini. 22. capitulo. Non facies violentiam homini pauperi quia pauper est: neque conteres egenum in porta: quia dominus iudicabit causam eius. 29. capitulo. A domino iudicium egreditur singulorum. Idem in ecclesiaste capitulo 3. Iustum et impium iudicabit dominus. 12. et finali. Cuncta que fiunt adducet dominus in iudicium pro omni erato: siue bonum siue malum sit.

Regum libro 1. capitulo 26. Deus retribuet unicuique secundum iustitiam suam et fidem.

Paralipomenon libro 2. capitulo 19. Non est apud deum iniquitas: nec personarum acceptio: nec cupido munerum.

Esaias propheta capitulo 31. Consurget deus contra domum pessimorum: et contra auxilium operantium iniquitatem.

Hieremias propheta in libro prophetiarum capitulo 23. Ego visitabo vos super malitiam studiorum vestrorum ait dominus. 29. capitulo. Ego sum iudex et testis dicit dominus. 33. capitulo. Oculi dei aperti sunt super omnes filias filiorum adam: vt reddat unicuique secundum vias suas: et secundum fructum ad inuentionem eius.

Ezechiel propheta capitula 18. Cum auerit se iustus a iustitia sua et fecerit iniquitatem et morietur in eis in iniustitia sua quam operatus est: morietur: et cum auerit se ipse ab iniquitate sua quam operatus est et fecerit iudicium et iustitiam: ipse animam suam viuificabit. Unumquemque iuxta vias suas iudicabo ait dominus deus. 33. capitulo. Iustitia iusti non liberabit eum in quacunque die peccauerit: et impietas impii non nocebit ei. In quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua.

Commented [CN7]: fol.2va

Commented [CN8]: fol.2vb

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 7. Non te iustifices ante deum: quoniam agnitor cordis ipse est. Capitulo 15. Deus ab initio constituit hominem: et reliquit illum in manu consilii sui. Adiecit mandata et precepta sua. Si volueris mandata conseruare: conseruabunt te etc. Apposuit tibi aquam et ignem: et quod volueris porrigere manum tuam: ante hominem vita et mors: bonum et malum quod placuerit ei dabitur ei.

Ouidius metamorphosi libro 13. Aspiciunt oculi superi mortalia iustis.

Marcus in euangelio capitulo 4. In qua mensura mensi fueritis: remetietur vobis. Capitulo 12. Omni cui multum datum est: multum queretur ab eo.

Paulus apostolus epistola ad Romanos capitulo 2. Non est personarum acceptio apud deum. Idem ad ephesios capitulo finali capitulo 14. Unusquisque vestrum pro se rationem reddet deo. Non ergo amplius inuicem iudicemus. Sed hic iudicare magnitudine ponatis offendibulum fratri vel scandalum.

Lex autem titulo de monachis. hinc nobis. Quantum ad dei cultum non est masculus neque femina: neque liber: neque seruus: omnes enim in christo vnam mercedem percipiunt.

Auctor libri de formula honeste vite capitulo 6. et finali quod est epilogus. In regno dei non est distinctio quis esset in seculo laicus aut clericus: diues aut pauper: iunior aut senior: seruus aut dominus: sed vnusquisque secundum meritum boni operis perpetuo coronabitur gloria.

Augustinus in epigramatibus Prosperi: 92. capitulo. Nullo modo iudiciis hominum comparanda sunt iudicia dei: quem non est dubitandum esse iustum: etiam quando facit quod hominibus videatur iniustum.

Boetius de consolatione libro 4. capitulo 9. in fine. Quamuis causam tante dispositionis ignores: tamen quoniam bonus mundum rector temperat recte fieri cuncta ne dubites.

Commented [CN9]: fol.3ra

De misericordia et clementia dei: Rubrica 7

Psalmistia. Misericordia domini plena est terra. Idem in 136. psalmo. Oculi domini super timentes eum: et in eis qui sperant super misericordia eius. 83 psalmo. Misericordiam et veritatem diligit deus. 84. psalmo. Misericordia et veritas obuiauuerunt sibi: iustitia et pax osculate sunt. 102. psalmo. Misericordia domini ab eterno: et vsque in eternum super timentes eum. 117. psalmo. Confitemini domino quoniam bonus quoniam in seculum misericordia eius. 167. psalmo. Beneplacitum est domino super timentes eum: et in eis qui sperant super misericordia eius.

Paralipomenon libro i. capitulo 21. Cum venisset gad angelus ad dauid: dixit ei: Hec dicit dominus: Elige quod volueris: aut tribus annis pestilentiam: aut tribus mensibus fugere hostes tuos: et gladium eorum non posse euadere: aut tribus diebus gladium domini et mortem versari in terra: et angelum domini interficere in vniuersis finibus israel. Nunc igitur vide quid respondeam ei qui me misit. Et dixit dauid ad gad: Ex omni parte me angustie premunt. Sed melius mihi est vt incidam in manus domini: quia multe sunt miserationes eius: quam in manus hominum. Misit ergo dominus pestilentiam in israel.

Hieremias propheta in libro lamentationum capitulo 3. Si abiecerit dominus et miserebitur secundum multitudinem miserationum suarum.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 5. Non adjicias peccatum super peccatum: et ne dicas miseratio dei magna est: multitudini peccatorum meorum miserebitur. 17. Quam magna misericordia domini et propitiatio illius conuertentibus ad se. 18. capitulo. Quis adjiciet enarrare misericordiam dei.

Pilon vel philemon libro sapientie capitulo 15. Tu deus noster suauis et verus es: patiens cum misericordia disponens omnia.

Mattheus in euangelio capitulo 5. Beati **misericordes**: quoniam ipsi misericordiam consequentur.

Commented [CN10]: fol.3rb

De charitate seu dilectione et odiositate dei ad hominem: Rubrica 8

Iob hystoria capitulo 3. Multo minora exigeris a deo quam meretur iniquitas tua.

Psalmista psalmo 5. Odisti omnes qui operantur iniquitatem. Uirum sanguinum et dolosum abominabitur deus. 33. psalmo. Oculi domini super iustos: et aures eius in preces eorum. 83. psalmo. Misericordiam et veritatem diligit deus. 166. psalmo. Deus diligit iustos.

Salomon in prouerbiis capitulo 8. Sex sunt que odit dominus: et septimum detestatur anima eius. Oculos sublimes: linguam mendacem: manum effudentis innoxium sanguinem: cor imaginans cogitationes pessimas: pedes veloces ad currendum in malum. Proferentem mendacia: testem fallacem et eum qui seminat inter fratres discordias. 15. capitulo. Qui sequitur iustitiam diligitur a domino. Abominatio domini cogitationes male. Longe est dominus ab impiis: et orationes iustorum exaudiet. 17. capitulo. Qui iustificat impium et qui damnat iustum: abominabilis est verque apud dominum.

Ezechiel propheta capitulo 18. Nunquid voluntatis mee est mors impii dicit dominus deus et non conuertatur a viis suis et uiuat. 33. capitulo. Nolo mortem impii: sed vt conuertatur impius a via sua et uiuat.

Regum libro 2. capitulo 14. Non vult deus perire animam: sed retractat cogitans ne penitus pereat qui ablectus est.

Tullius in oratione 5. pro ligario. Homines ad deos nulla re propius accedunt quam salutem hominibus dando.

Ioannes in apocalypsi capitulo 3. Ait deus: Sto ad ostium et pulso: siquis audierit vocem meam et aperuerit ianuam: introibo ad illum et cenabo cum illo et ille mecum. Idem in euangelio capitulo 3. Sic dilexit deus mundum vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum non pereat: sed habeat vitam eternam. Non enim misit deus filium suum in mundum vt iudicet mundum: sed vt saluetur mundus per ipsum. 15. capitulo. Ait iesus: Si precepta mea seruaueritis: manebitis **in** dilectione mea.

Commented [CN11]: fol.3va

Petrus apostolus epistola 2. capitulo 3. et finali. Dominus patienter agit propter nos: nolens aliquem perire: sed omnes ad penitentiam reuerti.

Paulus apostolus epistola ad romanos capitulo 8. Quicumque spiritu dei aguntur: hi sunt filii dei.

Cassiodorus epistolarum libro 8. capitulo 26. Quos superna protegunt felices aduersa habere non possunt.

Prouerbum vulgarium. A chi dio vol bien: dormando ieuen. A chi dio vol male: elge tole elseno. A chin dio vol male le piegore ge da de dente.

De mundana flagellatione et tentatione dilectorum dei: Rubrica 9

Job hystoria capitulo 5. Deus ponit humiles in sublime: et merentes erigit sospitate. Beatus homo qui corripitur a deo. Increpationem ergo domini ne reprobes quia ipse vulnerat et medetur: percutit et manus eius sanabunt.

Salomon in prouerbiis capitulo 3. Disciplinam domini ne abiicias: nec deficias cum ab eo corripis: quem enim diligit dominus corripit: et quasi pater in filio complacet sibi.

Tobie hystoria. Hoc pro certo habet omnis qui colit deum: quia vita eius si in probatione fuerit coronabitur.

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 33. Timenti deum non occurrent mala: sed interpretatione deus illum conseruat et liberat a malis. Capitulo 27. Homines iustos probat tentatio iubilationis. Capitulo 31. Infirmitas grauis sobriam facit animam.

Mattheus in euangelio capitulo 5. Beati que perfectionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum celorum.

Iacobus apostolus epistola 67. capitulo 1. Beatus qui suffert tentationem quoniam cum comprobatus fuerit accipiet coronam vite: quam promisit deus diligentibus se.

Ioannes in apocalipsi capitulo 3. Ego quos amo arguo et castigo.

Paulus apostolus epistola ad romanos capitulo 5. Tribulatio patientiam operatur: patientiam autem probationem. 8. capitulo. Existimo quod non sunt condigne passiones huius temporis ad futuram gloriam. Idem apostolus epistola prima ad corinthios capitulo 10. Fidelis deus est qui non patietur vos tentari ^{supra} id quod potestis. sed faciet cum tentatione etiam prouentum ut possitis sustinere. Idem apostolus epistola ad corinthios 2. capitulo 13. Uirtus in infirmitat perficitur. Idem apostolus epistola ad hebreos capitulo 12. Quem diligit deus castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit.

Gregorius in pastorali capitulo 51. De spe eterne hereditatis gaudium sumant quos aduersitas vite temporalis humiliat: quia nisi saluandos in perpetuum cerneret erudiendos sub discipline regimine diuina dispensatio non frenaret.

Commented [CN12]: fol.3vb

Isidorus soliloquiorum libro i. capitulo 4. Semper deus hic vulnerat: quos ad salutem perpetuam preparat.

De charitate hominis ad deum: Rubrica 10

In exodo capitulo 20. Ego dum dominus deus fortis et zelotes visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me: et faciens misericordiam in milia his qui diligunt me et custodiunt precepta mea.

In leuitico capitulo 4. Qui maledixerit et blasphemauerit nomen domini: morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo populi.

Moyses in deuteronomio capitulo 6. Diliges deum tuum ex toto corde tuo: et ex tota anima tua: et ex tota fortitudine tua.

Psalmistis 33. psalmo. Gustate et videte quoniam suavis est dominus. 36 psalmo. Delectare in domino: et dabit tibi petitiones cordis tui. Reuela domino viam tuam: et spera in eo. Subditus esto domino: et ora eum. Apud dominum gressus hominis dirigentur: et viam eius volet. Cum ceciderit non collidetur: quia dominus supponit manum suam. 49. psalmo. Imola deo sacrificium laudis. 54. psalmo. Iacta in domino curam tuam: et ipse te enutriet. 96. psalmo. Qui diligitis dominum odite malum. 136. psalmo. Paratus sum et non sum turbatus: vt custodiam mandata tua. 149. psalmo. Pax multa diligentibus legem tuam: et non est illis scandalum. 176. psalmo. Custodit dominus omnes diligentes se: et omnes peccatores disperdet.

Regum libro i. capitulo 2. Quicumque honorificauerit me: glorificabo eum: qui autem contemnunt me: erunt ignobiles.

Commented [CN13]: fol.4ra

Tobie hystoria capitulo 4. Omnibus diebus vite tue in mente habe dominum.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo i. Deus prebet sapientiam diligentibus se. Dilectio dei honorabilis sapientia. Qui diligit deum exorabit pro peccatis: et continebit se ab illis: et in oratione dierum exaudietur.

Mattheus in euangelio capitulo 6. Non potestis deo seruire et mamone. Idem lucas 16. capitulo. Qui amat patrem et matrem plus quam me: non est me dignus. Et qui amat filium aut filiam supra me: non est dignus me. Capitulo 31. Qui non est mecum contra me est. Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo: sum in medio eorum. 19. capitulo. Omnis qui reliquerit domum vel fratres: aut sorores: aut patrem aut vxorem: aut matrem: aut filios: aut agros propter nomen meum: centuplum accipiet et vitam eternam possidebit. Idem lucas in euangelio capitulo 18. Capitulo 22. Diliges deum ex toto corde tuo: et ex tota anima tua: et ex tota mente tua: hoc est primum et maximum mandatum. Secundum autem simile est huic. Et diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis tota lex pendet et prophete.

Ioannes in euangelio capitulo 14. Si diligitis me mandata mea seruare. Qui habet mandata mea et seruat ea: ille est qui diligit me. Qui diligit me diligitur a patre meo: et ego diligam eum: et manifestabo ei meipsum. Iesus dixit: Siquis diligit me sermonem meum seruabit: et pater meus

diligit eum: et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me sermones meos non seruat. Ait iesus discipulis suis quando morti appropinquabat. Non turbetur cor vestrum neque formidet: audiuiistis quia dixi vobis: vado et venio ad vos: si diligeretis me gauderetis vtique: quia vado ad patrem. 15. capitulo. Ait iesus discipulis suis: Manete in me et ego in vobis. Sicut palmes non potest facere fructum a semetipso nisi manserit in vite: Sic nec vos nisi in me manseritis. Ego sum vitis vos palmites: qui manet in me et ego in eum: hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Siquis in me non manserit mittetur foras sicut palmes et arescet: et colligent eum et in ignem mittent et ardet. Si manseritis in me et verba mea in vobis manserint: quodcunque volueritis petetis et fiet vobis. Ait iesus: si precepta mea seruaueritis manebitis in dilectione mea.

Commented [CN14]: fol.4rb

Iacobus apostolus epistola vnica capitulo 2. Quicumque totam legem obseruauerit: offenderit autem in vno factus est omnium reus.

Iohannes apostolus et euangelista epistola prima capitulo 4. Siquis dixerit: diligo deum et fratrem suum oderit: mendax est. Hoc mandatum habemus a deo: vt qui diligit deum diligit et patrem suum. Capitulo 5. et finali. Hec est charitas dei vt mandata eius custodiamus.

Paulus apostolus epistola ad romanos capitulo 8. Diligentibus deum omnia cooperantur in bonum. Idem apostolus epistola i. ad corinthios capitulo 10. Non potestis mense domini participes esse vt mense demoniorum. Idem epistola ad timotheum capitulo i. Finis precepti est charitas de corde puro et conscientia pura et fide non ficta.

Auctor libri de formula honeste vite capitulo 5. Amabis deum si illum in hoc imitaberis vt velis omnibus prodesse nulli nocere: et tunc te iustum virum appellabunt omnes. Sequentur venerabuntur et diligent: sicque merito iustus appellaberis.

De verbo dei et exauditione eius: Rubrica 11

In leuitico capitulo 2. et penultimo. Si in preceptis meis ambulaueritis et mandata mea custodieritis effeceritis ea: dabo vobis pluuias temporibus suis: et terra germinet germen suum et pomis arbores replebuntur: apprehendet messium tritura vindemiam: et vindemia occupabit se mentem: et comedetis panem vestrum in saturitate: et absque pauore habitabitis in terra vestra: dabo pacem in finibus vestris dormietis: et non erit qui exterreat. Auferam malas bestias: et gladius non transibit terminos vestros: persequemini inimicos vestros et corruent coram vobis.

Commented [CN15]: fol.4va

Moyses in deuteronomio capitulo 5. Non declines neque ad dexteram neque ad sinistram: sed per viam quam precipit vobis dominus deus ambulabitis: vt viuatis: et bene sit vobis et procellentur dies in terra portionis vestre. 8. capitulo. Non in solo pane viuit homo: sed ex omni verbo quod egreditur ex ore dei.

Psalmistia 102. psalmo. Iustitia domini in filios filiorum his qui seruant testamentum eius: et memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea. 125. psalmo locutio ad deum: Paratus sum et non sum turbatus: vt custodiam mandata tua. 145. psalmo. Pax multa diligentibus legem tuam domine: et non est illis scandalum.

Salomon in prouerbiis capitulo 30. et finali. Omnis sermo dei ignitus. Idem in ecclesiaste capitulo 8. Sermo dei potestate plenus est.

Marcus in euangelio capitulo 3. Celum et terra transibunt: verba autem mea non transibunt: ait iesus. Idem dicit lucas in euangelio capitulo 21.

Lucas in euangelio capitulo 10. Iesus intrauit in quidam castellum: et mulier quedam martha nomine excepit illum in domum suam: et huic erat soror nomine maria: que etiam sedens secus pedes domini: audiebat verbum illius: martha aut satagebat circa frequens ministerium: que stetit et ait: Domine non est tibi cure quod soror mea reliquit me solam ministrare: dic ergo illi vt me adiuuet. Et respondens dixit illi dominus: Martha martha sollicita es et turbaris erga plurima: porro vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit que non auferetur ab ea. Capitulo 11. Beati qui audiunt verbum dei et custodiunt illud. Ait iesus: Uobis legislatoribus vhe quia oneratis homines oneribus que portari non possunt: et ipsi vno digito vestro non tangitis sarcinas.

Ioannes in euangelio capitulo 8. Qui est ex deo verba dei audit. Ait iesus: Si quis sermonem meum seruauerit: mortem non gustabit in eternum. Capitulo 10. Ait iesus: Si mihi non vultis credere operibus credite.

Paulus apostolus epistola ad romanos capitulo 2. Non auditores legis iusti sunt apud deum: sed factores legis iustificabuntur. Idem epistola ad timotheum capitulo i. Finis precepti est charitas de corde puro: et conscientia bona et fide non ficta. Idem epistola ad hebreos capitulo 4. Uiuus est sermo dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti.

Commented [CN16]: fol.4vb

De timore dei: Rubrica 12

Iob hystoria capitulo 28. Timor domini ipse est sapientia.

Moyses in deuteronomio capitulo 6. Timeas dominum deum tuum: et custodias mandata et precepta eius.

Psalmista 2. psalmo. Seruite domino in timore: et exultate ei cum tremore. 28. psalmo. Firmamentum est dominus timentibus eum. 32. psalmo. Oculi domini super timentes eum. 84. psalmo. Prope timentes deum salutare ipsius. 102. psalmo. Misericordia domini ab eterno: et vsque in eternum super timentes eum. 110. psalmo. Initium sapientie timor domini. 111. psalmo. Beatus vir qui timet dominum. 148. psalmo. Beati omnes qui timent dominum: qui ambulant in viis eius. 165. Uoluntatem timentium se faciet et deprecationem eorum exaudiet et saluos faciet eos. 167. psalmo. Beneplacitum est domino super timentes eum.

Salomon in prouerbiis capitulo 3. Time deum et recede a malo. Timor domini odit malum: arrogantiam et superbiam et viam prauam: et os bilingue detestatur. 15. Capitulo. Timor domini disciplina sapientie. 16. capitulo. Timore domini declinat a malo. Capitulo 24. Time dominum fili mi et regem. Idem in ecclesiastico capitulo 7. Qui timet dominum nihil negligit. 12. capitulo et finali. Deum time et mandatum eius obserua. hoc est enim omnis homo.

Tobie hystoria capitulo 4. Multa bona habebimus si timuerimus deum: et recesserimus ab omni peccato et fecerimus bene.

Socrates in exhortationibus capitulo 2. circa principio. Deum quidem verere.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo i. Timor domini gloria et gloriatio et letitia et corona exultationis. Timor domini delectabit cor: et dabit letitiam et gaudium et longitudinem dierum. Timenti dominum bene erit in extremis: et in die defunctionis sue benedicetur. Timor domini scientie religiositas: custodiet et iustificabit cor. Timenti **deum** bene erit: et in diebus consummationis illius benedicentur. Corona sapientie timor domini replens pacem et salutis fructum. Timor domini expellit peccatum. Qui timet dominum: honorat parentes et quasi dominis seruiet is qui se genuerunt. 7. capitulo. In tota anima tua time deum: et sacerdotes illius sacrificia. 33. capitulo. Timenti deum non occurrent mala: sed in tentatione illum deus conseruat: et liberat a malis. 25. capitulo. Timor dei initium dilectionis eius.

Commented [CN17]: fol.5ra

Lucas in euangelio capitulo 21. Timete eum qui postquam occiderit habet potestatem mittere in gehennam.

Petrus apostolus epistola i. Deum timete.

Augustinus in epigramatibus prosperi capitulo 71. Deus sic timendus est vt ab ipso fugiatur ad ipsum.

Cassiodorus epistolarum libro 9. capitulo 25. Semper bene geritur si celestis metus humanis moribus apponitur: hinc etenim virtutum omnium sumitur agnitio: hinc sapientia veritatis sapore conditur.

De querendo et adeundo deum: Rubrica 13

Psalmistia 9. psalmo. Non dereliquisti querentes te domine. 33. psalmo. Inquirentes deum non minuentur omni bono. 36. psalmo. Delectare in domino: et dabit tibi petitiones cordis tui. 68. psalmo. Querite dominum: et viuet anima vestra. 104. psalmo. Querite dominum et confirmabimini.

Paralipomenon libro i. capitulo 28. Si quesieris dominum inuenies: si autem dereliqueris eum proiciet te in eternum. Libro 2. capitulo 15. Si quesieritis deum inuenietis: si autem dereliquieritis eum: derelinquet vos.

Hieremias propheta in libro prophetarum capitulo 29. Cum quesieritis me in toto corde vestro inueniar a vobis: ait dominus.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 2. Deus protector est omnibus exquirentibus se in veritate.

Pylon libro sapientie capitulo i. Sentite de domino: in bonitate: et in simplicitate cordis querite illum: quoniam inuenitur ab his qui non tentant illum: apparet autem illis qui fidem habent in illum.

Mattheum in euangelio capitulo 7. Querite et inuenietis: pulsate et aperietur vobis. Idem dicit lucas in euangelio capitulo 11.

Ioannes in euangelio capitulo 6. Ait iesus: Eum qui venit ad me non eiiciam foras.

Iacobus apostolus in epistola vnica capitulo 4. Appropinquate deo: et appropinquabit vobis.

Commented [CN18]: fol.5rb

Paulus apostolus: epistola ad hebreos capitulo 4. Adeamus cum fiducia ad thronum gratie: vt misericordiam consequamur: et gratiam inueniamus in auxilio opportuno.

Boetius de consolatione libro 3. capitulo 17. Ut platoni placet in minimis quoque rebus diuinum debet auxilium implorari. Inuocandum censeo rerum omnium patrem: quo pretermisso: nullum rite fundatur exordium.

De spe atque desperatione hominis ad deum: Rubrica 14

Psalmistia 17. psalmo. Protector est deus omnium sperantium in se. 31. psalmo. Sperantem in domino: misericordia circundabit. 32. psalmo. Oculi domini in eis qui sperant super misericordia eius. 33. psalmo. Beatus vir qui sperat in domino. 36. psalmo. Spera in domino et fac bonitatem. Reuela domine viam tuam: et spera in eo. Dominus saluabit iustos qui sperauerunt in eo. 39. psalmo. Beatus vir cuius est nomen domini spes eius: et non respexit in vanitates et insanias falsas. 83. psalmo. Beatus homo qui sperat in deo. 117. psalmo. Bonum est confidere in domino quam confidere in homine. Bonum est sperare in domino quam sperare in principibus. 167. psalmo. Beneplacitum est domino in eis qui sperant super misericordia eius.

Salomon in prouerbiis capitulo 3. Habe fiduciam in toto corde tuo: et ne innitaris prudentie tue: in omnibus viis tuis cogita illum: et ipse diriget gressus tuos. 16. capitulo. Qui in domino sperat beatus est. 28. capitulo. Qui sperat in domino sanabitur. 29. capitulo. Qui sperat in domino subleuabitur. 20. capitulo. Clipeus est dominus sperantibus in se.

Regum libro 2. capitulo 22. Scutum est dominus omnium sperantium in se.

Hieremias propheta in libro lamentationum capitulo 3. Bonus est dominus sperantibus in eum. Bonum est prestolari cum silentio salutare domini.

Gregorius in pastorali capitulo 51. De spe eterne hereditatis gaudium sumat quos aduersitas vite temporalis humiliat: quia nisi saluandos in perpetuum cernent erudiendos sub discipline regimine diuina dispensatio non frenaret.

Commented [CN19]: fol.5va

Isidorus in sinonima soliloquiorum libro i. capitulo. 12. Qui veniam de peccato desperat plus se de desperatione quam de commisso crimine damnat. Desperatio auget peccatum.

De oratione religiosa: Rubrica 15

Psalmistia 33. psalmo. Oculi domini super iustos: et aures eius in preces eorum. Clamauerunt iusti et dominus exaudiuit eos: et ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos. 36. psalmo.

Subditus esto domino: et ora eum. 49. psalmo. Immola deo sacrificium laudis. 50. psalmo dauid. Miserere mei deus secundum magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem meam. Amplius laua me ab iniquitate mea: et a peccato meo munda me. etc. Auerte faciem tuam a peccatis meis: et omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me deus: et spiritum rectum innoua in visceribus meis. Ne proicias me a facie tua: et spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi letitiam salutaris tui: et spiritu principali confirma me. Dauid. Domine labia aperies: et os meum annunciabit laudem tuam. 69. psalmo. Deus in adiutorium meum intende: domine ad adiuuandum me festina. 17. psalmo. Deus ne elongeris a me deus meus in auxilium meum respice. 84. psalmo. Ostende nobis domine misericordiam tuam et salutare tuum da nobis. 85. psalmo. Tu deus suauis et mitis et multe misericordie es omnibus inuocantibus te. 101. psalmo. Dominus respexit in orationem humilium: et non spreuit precem eorum. 104. psalmo. Confitemini domino et inuocate nomen eius. 146. psalmo. Qui seminat in lachrymis in exultatione metet. 158. psalmo. Opera manuum tuarum ne despicias. 161. psalmo dauid. Pone domine custodiam ori meo: et hostium circumstantie labiis meis. 163. psalmo dauid. Non intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. 165. psalmo. Prope est dominus omnibus inuocantibus eum in veritate: voluntatem timentium se faciet: et deprecationem eorum exaudiet et saluos faciet eos.

Salomon in prouerbiis capitulo 15. Longe est dominus ab impiis: et orationes iustorum exaudiet.

Tobie hystoria capitulo 4. Omni tempore benedic deum: et pete ab eo vt vias tuas dirigat: et omnia consilia tua in ipso permaneant. 12. capitulo. Bona est oratio cum ieiunio et elemosyna magis quam thesauros auri condere.

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 3. Qui diligit deum exorabit pro peccatis: et continens est ab illis: et in oratione dierum exaudietur. 18. capitulo. Ante orationem prepara animam tuam: et noli esse quasi homo qui tentat deum.

Mattheus in euangelio 6. capitulo. Cum oratis non eritis sicut hypocrite qui amant in synagogis et angulis platearum stantes orare vt videantur ab homibus. intra cubiculum tuum et clauso ostio tuo ora patrem tuum in abscondito: et pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi. Orantes nolite multum loqui. Sic orabitur: Pater noster qui es in celis sanctificetur nomen tuum adueniat regnum tuum fiat voluntas tua sicut in celo et in terra. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie et dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris: et ne nos inducas intationem: sed libera nos a malo. 7. capitulo. Petite et dabitur vobis: querite et inuenietis: pulsate et aperietur vobis. 26. capitulo. Uigilate et orate vt non interetis in tentationem: spiritus quidem promptus est: caro autem infirma.

Marcus in euangelio 11. capitulo. Omnia quecumque orantes petitis credite: quia accipietis et veniet vobis. Cum stabis ad orandum dimittite si quid habetis aduersus aliquem: vt pater vester qui in celis est dimittat vobis peccata vestra.

Lucas in euangelio 11. capitulo. Cum oratis: dicite: Pater sanctificetur nomen tuum adueniat regnum tuum: panem nostrum quotidianum da nobis quotidie: et dimitte nobis debita nostra: siquidem et ipsi dimittimus: omnibus dimittentibus nobis: et ne nos inducas in tentationem. 22. capitulo. Orate ne intretis intationem.

Commented [CN20]: fol.5vb

Ioannes in euangelio capitulo 9. Peccatores deus non audit: sed si quis dei cultor est: et eius voluntatem facit: hunc exaudiet.

Paulus apostolus epistola i. ad corinthios capitulo 14. Si orem lingua: et spiritus meus non orat: mens mea sine fructu est. Idem in epistola ad collosienses capitulo 3. et penultimo. Omne quodcunque facitis verbo aut opere: omnia in nomine domini iesu christi facite.

Commented [CN21]: fol.6ra

Iacobus apostolus epistola i. capitulo 5. Orate pro inuicem vt saluemini. Multum valet deprecatio assidua.

Boetius de consolatione libro 5. et finali capitulo 11. et finali. In deo preces ponite cum recte sunt inefficaces esse non possunt.

Cato capitulo i. Deo supplica.

Augustinus in epigrammata prosperi 89. capitulo. Fideliter supplicans deo pro necessitatibus istius vite et misericorditer auditur et misericorditer non auditur: quid enim vtile infirmo sit magis nouit medicus quam egrotus. Si autem postulat id quod deus precipit fiet omnino quod poscit. 91. capitulo. Deus cum aliquid male positum dando irascitur et non dando miseretur.

Isidorus soliloquiorum libro 2. capitulo 6. Immundus spiritus orationis instantia vincitur. Demonia oratione deiiciuntur. Oratione demonia superantur.

De ieiunii religione: Rubrica 16

Mattheus in euangelio capitulo 15. Non quod intrat in os coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore hoc coinquinat hominem.

Paulus apostolus epistola ad romanos capitulo 14. Is qui manducat non manducantem non spernat: et qui non manducat manducantem non iudicet. Et qui manducat domino manducet: gratias enim agit deo: et qui non manducat domino non manducat: et gratias agit deo. Idem epistola i. ad corinthios capitulo 9. Nunquid non habemus potestatem manducandi et bibendi?

Gregorius in pastoralis capitulo 44. Admonendi sunt abstinentes vt nouerint quia tunc placentem deo abstinentia offerunt cum ea qui sibi de alimentis subtrahunt indigentibus largiuntur. Non deo sed sibi quisque ieiunat si ea que sibi ad tempus subtrahit non in opibus subtrahit: sed ventri postmodum offerenda custodit.

De voti religione: Rubrica 17

Moyses in deuteronomio capitulo 33. Cum voto voueris domino deo tuo non tardabis reddere quia requirit illud dominus deus tuus: et si moratus fueris: reputabit tibi in peccatum. Si nolueris polliceri absque peccato eris.

Psalmista 49. psalmo. Redde altissimo vota tua. 75. psalmo. Uouete et reddite domino deo vestro omnes qui in circuitu eius affertis munera.

Commented [CN22]: fol.6rb

Salomon in prouerbiis capitulo 20. Ruina est homini deuouere sanctis: et post vota tractare. Idem in ecclesiaste capitulo 5. Si quid uouisti deo ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis et stulta promissio: sed quodcunque uoueris redde: multo melius est non uouere quam post votum promissa non reddere.

Isidorus soliloquiorum libro 2. capitulo 36. In turpe votum muta decretum. Quod incaute nouisti non facias. Impia est promissio que scelere adimpletur.

De iuramenti religione: Rubrica 18

In leuitico capitulo 19. Non periurabis in nomine meo: nec pollues nomen domini dei tui.

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 23. Iurationi non assuescat os tuum: multi enim casus in illa. Uir multum iurans implebitur iniquitate.

Mattheus in euangelio capitulo 5. Non iurare omnino: neque per celum quia thronus dei est: neque per terram: quia scabellum est pedum eius: neque per hierosolymam quia ciuitas est magni regis: nec per caput tuum iurabis: quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. Sit autem sermo vester est est non non: quod autem his habundantius est a malo est.

Iacobus apostolus epistola vnica capitulo 5. et finali. Nolite iurare neque per celum neque per terram: neque aliud quodcunque iuramentum: sit sermo vester est est non non.

Paulus apostolus epistola ad hebreos capitulo 6. Homines per maiorem sui iurant: et omnis controuersie eorum finis. Ad confirmationem est iuramentum.

Cato capitulo i. Ius iurandum serua.

Isidorus soliloquium libro 2. capitulo 35. Assiduitas iurandi periurii consuetudinem facit. Usus iurandi ad periurium ducit. Sit in ore tuo est: sit in ore tuo non est: veritas iuramento non indiget. Firma sit sacramenti tui fides.

De charitate religiosa hominis ad proximum: Rubrica 19

In exodo capitulo 2. Non loquaris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces domum proximi tui: nec desiderabis uxorem eius: non seruum: non ancillam: non ouem: non bouem: non asinum: nec omnia que illius sunt. 21. capitulo. Siquis per industriam occiderit proximum suum et per insidias: ab altari meo auellas eum: ut moriatur. 22. capitulo. Aduenam non contristabis: neque affliges eum. Uidue et pupillo non nocebis: si leseritis eos vociferabuntur ad me: et ego audiam clamorem eorum: et indignabitur furor meus: percutiamque vos gladio: et erunt uxores vestre vidue: et filii vestri pupilli. 23. capitulo. Pauperis misereberis in negotio. Peregrino molestus non eris.

In leuitico capitulo 19. Cum messueris segetes terre tue: non tondebis usque ad solum super faciem terre: nec remanentes spicas colliges: neque in vinea tua racemos et grana decidentia congregabis: sed pauperibus et peregrinis carpenda dimittes. Non mentiemini: nec decipiet

Commented [CN23]: fol.6va

vnusquisque proximum suum. Non facies calumniam proximo tuo: nec vi opprimes eum. Non maledices surdo: nec coram ceco pones offendiculum. Si habitauerit aduena in terra vestra: et moratus fuerit inter vos: ne exprobetis ei: sed sit inter vos quasi indigena.

Moyses in deuteronomio capitulo 19. Non assumes et transferes terminos proximi tui quos fixerunt priores in possessione tua. 23. capitulo. Non feneraberis fratri tuo ad vsuram pecuniam: nec fruges: nec quamlibet aliam rem sed alieno: fratri autem tuo absque vsura: id quod indiget comodabis: vt benedicat tibi dominus deus tuus omni tempore tuo. 116. capitulo. Ingressus vineam proximi tui comede vvas quantum tibi placuerit: soris autem ne efferas tecum. 24. capitulo. Si intraueris segetem amici tui franges spicas et manu conteres: falce autem non metes. Cum repetes a proximo tuo rem aliquam quam debet tibi: non ingredieris domum eius vt pignus auferas: sed stabis foris: et ille tibi proferet quod habuerit. 37. capitulo. **Maledictus** qui transferet terminos proximi sui. Maledictus qui errare facit cecos in itinere. Maledictus qui peruertit iudicium aduene et pupilli.

Commented [CN24]: fol.6vb

Salomon in prouerbiis capitulo 10. Uniuersa delicta aperit charitas. 14. capitulo. Qui despicit proximum suum peccat.

Tobie hystoria capitulo 4. Quod ab alio odis fieri tibi vide ne alteri tu aliquando facias.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 29. Fenerare proximo tibi in tempore necessitatis illius. Multi non causa nequitię non fenerati sunt: sed fraudari gratis timuerunt. Uir bonus fidem facit proximo suo.

Tullius in oratione pro quinto ligario: Homines ad deos nulla re propius accedunt quam salutem hominibus dando.

Mattheus in euangelio capitulo 5. Omnis qui irascitur fratri suo: reus erit iudicio. Capitulo 7. Quid vides festucam in oculo fratris tui: et trabem in oculo tuo non vides. Aut dicis fratri tuo: frater sine eiiciam festucam de oculo tuo: ecce trabes in oculo tuo est. hypocrita: eiice primum trabem de oculo tuo: et tunc videbis eiicem festucam de oculo fratris tui. Idem dicit lucas capitulo 6. Omnia quecunque vultis vt faciant vobis homines et vos facite illis. Idem lucas 6. capitulo. Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo: ibi sum in medio eorum. 22. capitulo. Ait iesus: Dilige dominum deum tuum ex toto corde tuo: et ex tota anima tua: et ex tota mente tua: hoc est primum et maximum mandatum: secundum autem est simile huic: et diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis tota lex pendet et prophete.

Marcus in euangelio capitulo 9. Pacem habete inter vos.

Lucas in euangelio capitulo 6. Mutuum date nihil inde sperantes: et erit merces vestra multa: et eritis filii altissimi: quia ipse benignus est super ingratos et malos. Date et dabitur vobis.

Ioannes in euangelio capitulo 3. Uos vocatis me magister et domine: et bene dicitis: sum etenim. Si ergo laui ego vestros pedes dominus et magister: et vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis: vt quemadmodum ego feci vobis: ita et vos faciatis. Mandatum nouum do **vobis**: vt diligatis inuicem sicut dilexi vos vt et vos diligatis inuicem. 14. capitulo. Pacem relinquo vobis: pacem meam do vobis. 15. capitulo. Maiorem hanc dilectionem nemo

Commented [CN25]: fol.7ra

habet vt animam suam quis ponat pro amicis suis. Ait iesus: hec mando vobis vt diligatis inuicem.

Iacobus apostolus epistola vnica capitulo 4. Nolite detrahere alterutrum.

Petrus apostolus 1. capitulo 2. Omnes honorate: fraternitatem diligite. 4. capitulo. Charitas operit multitudinem peccatorum.

Iohannes in epistola 1. capitulo 2. Qui diligit fratrem suum: in lumine manet: et scandalum in eo non est: qui autem odit fratrem suum in tenebris est: et in tenebris ambulat et nescit quo eat: quoniam tenebre obcecauerunt oculos eius. Capitulo 3. Qui habuerit substantiam mundi et viderit fratrem suum necessitatem habere et clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas dei manet in eo? Non diligamus verbo neque lingua: sed opere et veritate. Capitulo 4. Diligamus inuicem: quoniam charitas ex deo est: et omnis qui diligit fratrem ex deo natus est: et cognoscit deum quoniam deus charitas est. Si diligamus inuicem: deus in nobis manet: et charitas eius in nobis perfecta est. Deus charitas est: et qui manet in charitate in deo manet et deus in eo. Siquis dixerit: diligo deum: et fratrem suum oderit: mendax est. Hoc mandatum habemus a deo: vt qui diligit deum diligat et fratrem suum.

Paulus apostolus epistola ad Romanos capitulo 12. Sicut in vno corpore multa membra habemus: omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in christo singuli autem alterius membra. 13. capitulo. Qui diligit proximum suum: legem impleuit. Nam non adulterabis: non occides: non furaberis: non falsum testimonium dices: non concupisces rem proximi tui: et si quid aliud est mandatum in hoc verbo instauratur. 15. capitulo et ante penultimo. Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bono. Idem apostolus epistola 1. ad corinthios capitulo 13. Si linguis hominum loquar et angelorum: charitatem autem non habeam: factus sum velut es **sonans** aut cymbalum tinniens. Charitas patiens est: benigna est: charitas non emulatur: non agit peperam: non inflatur: non est ambitiosa: non querit que sua sunt: non irritatur: non cogitat malum: non gaudet super iniquitatem: congaudet autem veritati: omnia suffert: omnia credit: omnia sperat: omnia sustinet. Maior fide et spe est charitas. 16. capitulo. Omnia vestra in charitate fiant. Idem apostolus epistola ad galathas capitulo 6. et finali. Alter alterius onera portate. Operemur bonum ad omnes: maxime ad domesticos fidei. Idem epistola ad ephesios capitulo 4. Loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo: quoniam sumus inuicem membra. Omnis amaritudo et ira et indignatio et clamor et blasphemia tolletur a vobis cum omni malitia. estote autem inuicem benigni: misericordes donantes inuicem. Idem epistola ad collosienses 3. capitulo penultimo. Nolite mentiri inuicem. Charitatem habete: quod est vinculum perfectionis. Pax christi exultet in cordibus vestris: in qua et vocati estis in vno corpore. Idem apostolus in epistola 1. ad timotheum capitulo 5. Siquis suorum et maxime domesticorum curam non habet: fidem negauit: et est infideli deterior. Idem apostolus epistola ad hebreos capitulo 12. Pacem sequamini cum omnibus et sanctimoniam: sine qua nemo videbit deum. Capitulo 13. et finali. Beneficentie et communicationis nolite obliuisci: talibus enim hostiis promeretur deus.

Commented [CN26]: fol.7rb

Auctor libri de formula honestatis vite. Amabis deum: si illum in hoc immitaberis: vt velis omnibus prodesse nulli nocere: et tunc te iustum virum appellabunt omnes: sequentur venerabuntur et diligent: sicque merito iustus appellaberis.

Cassiodorus de charitate dei capitulo 29. Omnium bonorum radix est charitas.

De elemosyna: Rubrica 20

Psalmista psalmo 40. Beatus qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala liberabit eum dominus.

Salomon in prouerbiis capitulo 14. Qui miseretur pauperi beatus erit. 17. capitulo. Qui despicit pauperem exprobrat factori eius. 19. capitulo. **F**eneratur domino qui miseretur pauperis et vicissitudinem suam reddet ei. 31. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis: et ipse clamabit et non exaudietur. 28. capitulo. Qui dat pauperi non indigebit: qui despicit deprecantem sustinebit pecuniam. Idem in ecclesiaste capitulo 7. Bonum est te sustentare iustum: sed et ab illo ne subtrahas manum tuam.

Commented [CN27]: fol.7va

Tobie hystoria capitulo 4. Ex substantia tua fac elemosynam: et noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet vt nec auertatur facies domini. Quomodo potueris: ita esto misericors. Si multum tibi fuerit abundanter tribue. Si exiguum fuerit tibi: etiam exiguum impertire stude. Premium enim bonum thesaurizas in die necessitatis. Elemosyna ab omni peccato et a morte liberat: et non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo deo elemosyna omnibus facientibus eam. Panem tuum cum esurientibus et egenis comede: et de vestimentis tuis nudos tege. 12. capitulo. Elemosyna a morte liberat: et ipsa est que purgat peccata et facit inuenire vitam eternam.

Esaias propheta capitulo 58. Frange esurienti panem tuum: et egenos vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum operi eum: et carnem tuam ne despexeris.

Iesus filius syrac in ecclesiastico capitulo 3. Elemosyna resistit peccatis. Capitulo 4. Elemosynam pauperis ne defraudes: et oculos tuos ne transuertas a paupere. Cor inopis ne afflixeris: et non protrahas datum angustianti anime. Rogationem contribulanti ne abiicias: et ne auertas faciem tuam ab egeno. Capitulo 14. Secundum vires tuas exporrigenz da pauperi. 17. capitulo. Elemosyna viri quasi sacculum cum ipso.

Mattheus in euangelio capitulo 5. Cum facis elemosynam noli tuba canere ante te sicut hypocrite faciunt in synagogis eorum. Capitulo 15. Non est bonum sumere panem filiorum et dare canibus. Capitulo 16. Ait iesus: Si vis perfectus esse: vade et vende omnia que habes et da pauperibus: et habebis thesaurum in celo: et veni sequere me.

Lucas in euangelio capitulo 3. Qui habet duas tunicas vnā det non habenti: et qui habet escas **s**imiliter faciat. Capitulo 10. Ait iesus discipulis suis: In quamcunque ciuitatem intraueritis et susceperint vos: manducate que apponuntur vobis etc. In quamcunque ciuitatem intraueritis et non receperint vos: euntes in plateis eis dicite: etiam puluerem qui adhesit vobis de ciuitate vestra extergimus in vos: tamen hoc scitote quia appropinquabit regnum dei. Capitulo 16. Homo

Commented [CN28]: fol.7vb

quidam erat diues et induebatur purpura et bysso: et epulabatur quotidie splendide: et erat quidem mendicus nomine lazarus: qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus: cupiens saturari de micis que cadebant de mensa diuitis et nemo illi dabat: sed et canes veniebant et lingebant vlcera eius. Factum est autem vt moreretur mendicus et portaretur ab angelis in sinu abrae: mortuus est autem et diues: et sepultus est in inferno. Eleuans autem oculos suos cum esset in tormentis: vidit abraham a longe et lazarus in sinu eius: et ipse clamans dixit: pater abraham miserere mei: et mitte lazarus vt intingat extremum digiti sui in aquam vt refrigeret linguam meam quia crucior in hac flamma. Et dixit illi abraham: fili recordare quia recepisti bona in vita tua et lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur: tu vero cruciaris: et in his omnibus inter nos et vos chaos magnum firmatum est: vt hi qui volunt hinc transire ad vos non possunt: neque inde huc transmeare. Et ait: Rogo ergo te pater vt mittas eum in domo patris mei: habeo enim quinque fratres vt testetur illis: ne et ipsi veniant in locum hunc tormentorum. Et ait illi abraham: Habent moyses et prophetas audiant illos. At ille dixit: Non pater abraham: sed siquis ex mortuis ierit ad eos penitentiam agent. Ait autem illi: Si moysen et prophetas non audiunt: neque siquis ex mortuis resurrexerit credent ei.

Iohannes epistola i. capitulo 3. Qui habuerit substantiam mundi et viderit fratrem suum necessitatem habere et clauserit viscera sua ab eo quomodo charitas dei manet in eo.

Paulus apostolus epistola 2. ad corinthios capitulo 9. Hilarem datorem diligit deus.

Seneca de beneficiis libro 2. Dabo egentis: sed vt ipse non egeam: succurram perituro: sed vt ipse non peream.

Commented [CN29]: fol.8ra

Cecilius firmanus de beata vita: libro 4. Beneficentia nulla est vbicunque necessitas non est: perit igitur quicquid gratie causa non indigentibus tribuitur.

Cassiodorus epistolarum libro 12. et finali capitulo 13. Qui potest esurientibus subuenire si non pascit extinguit. 27. epistola et penultima. Egentibus iustum est non diuitibus subueniri: fundit potius qui mittit in plenum.

Isidorus soliloquiorum libro 2. capitulo 54. et ante penultima. Quod bono affectu dispensatur hoc accipit deus: qui autem cum tedio dat: mercedem perdit. Non auferas vni vnde alii tribuas: nec te misericordem ostendas alieno spolio.

De decimarum et primitiarum religione: Rubrica 21

In exodo 22. Decimas tuas et primitias non tardabis offerre. 23. capitulo. Primitias frugum terre tue deferre in domu domini dei tui. 25. capitulo. Loquere filiis israel: vt tollat mihi primitias ab omni homine qui offert vltro ne accipies eas.

In leuitico capitulo vltimo. Omnes decime terre siue de frugibus siue de pomis arborum domino sunt: et illi sanctificantur. Boues et oues et capre que pastoris virga transeunt quicquid decimum venerit sanctificabitur domino.

In libro numeri capitulo 18. Locutus est dominus ad aaron etc. filiis leui dedi omnes decimas israelis in possessionem pro ministerio quo seruiunt mihi in tabernaculo federis. Nihil aliud possidebunt filii leui decimarum oblatione contenti: quas in vsus eorum et necessariis separaui.

Moyses in deuteronomio capitulo 14. Deciman partem separabis de cunctis fructibus tuis qui nascuntur in terra per annos singulos: et comedes in conspectu domini dei tui in loco quem elegerit: vt in eo nomen illius inuocetur: decimam frumenti tui et vini et olei: et primogenita de armentis et ouibus tuis: vt discas timere dominum deum tuum omni tempore. Capitulo 18. Non habebunt sacerdotes et leuite: et omnes qui de eadem tribu sunt partem et hereditatem cum reliquo populo israel: quia sacrificia domini et oblationes eius comedent: et nihil aliud accipiant de portione fratrum suorum: dominus enim ipse est hereditas eorum sicut locutus est illis.

Salomon in prouerbiis capitulo 3. Honora dominum de tua substantia: et de primitiis omnium frugum tuarum: et implebuntur horrea tua saturitate: et vino torcularia tua redundabunt.

De vsurarum prohibitionem religiosa et morali: Rubrica. 22

Moyses in deuteronomio capitulo 23. Non feneraberis fratri tuo ad vsuram pecuniam nec fruges nec aliam quamlibet rem sed alieno. Fratri tuo absque vsura id quod indiget comodabis: vt benedicat tibi dominus deus tuus in opere tuo.

Ezechiel propheta capitulo 18. Ad vsuram dantem et amplius accipientem nunquid viuet?

Socrates in exhortationibus capitulo 2. Abstinentiam exerceas fenoris.

Aristoteles ethicorum libro 4. capitulo 2. Usurarii vnde non oportet accipiunt et quantum non oportet.

Jesus filius syrach in ecclesiastico capitulo 4. Noli fenerari omni fortiori te. 29. capitulo. Qui facit misericordiam feneratur proximo suo. Fenerare proximo tibi in tempore necessitatis illius. Multi non causa nequitie fenerati sunt: sed fraudari gratis timuerunt.

Lucas in euangelio capitulo 6. Si mutuum dederitis his a quibus speratis recipere que vobis est gratia? Mutuum date nihil inde sperantes: et erit merces vestra multa: et eritis filii altissimi: quia ipse benignus est super ingratos et malos.

De puritate animi et cogitatione atque voluntate peccati: Rubrica 23

Salomon in prouerbiis capitulo 4. Omni custodia serua tuum cor quia ex ipso vita procedit. Capitulo 15. Abominatio domini cogitationes male. Capitulo 20. Quis potest dicere: mundum est cor meum: purus sum a peccato.

Pylon siue filemon: libro sapientie capitulo i. Peruerse cogitationes separant a deo.

Matheus in euangelio capitulo 5. Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam: iam mechatus est eam in corde suo. Si oculus tuus dexter scandalizauerint te: erue eum et proiice abs

Commented [CN30]: fol.8rb

Commented [CN31]: fol.8va

te: expedit enim tibi: vt pereat vnum membrorum tuorum quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. 10. capitulo. Estote prudentes sicut serpentes: et simplices sicut columbe. Matheus in euangelio capitulo 7. Abintus de corde hominum cogitationes male procedunt: adulteria: fornicationes: homicidia: furta: auaritia: nequitie: dolus: impudicitia: inuidia: oculus: malus: blasphemia: superbia: stultitia. 10. capitulo. Paruulorum est regnum dei. Quisquis non receperit regnum dei velut paruulus: no intrabit in illud.

Lucas in euangelio capitulo vi. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum: malus homo de malo thesauro cordis sui profert malum.

Iacobus apostolus epistola vnica capitulo i. Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus deinde concupiscentia cum conceperit parit peccatum. Peccatum vero cum consummatum fuerit generat mortem.

De vanitate mundi et hominis et humanorum bonorum: Rubrica 24

Psalmista 38. psalmo. Vniuersa vanitas omnis homo viuens. Thesaurizat homo: et ignorat cui congregabit ea. Uane conturbatur omnis homo. 89. psalmo. Anni nostri sicut aranea mediabuntur. 93. psalmo. Cogitationes hominum vane sunt. 102. psalmo. Puluis sumus. Homo sicut fenum: dies eius tanquam flos agri: sic et florebit: quoniam spiritus pertransibit in illo et non subsistet: et non cognoscat amplius locum suum. 164. psalmo. Homo vanitati similis factus est: dies eius sicut umbra pretereunt. 166. psalmo. Nolite confidere in principibus filii hominum quibus non est salus. Exhibet spiritus hominis et reuertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eius.

Salomon in ecclesiaste capitulo 1. Lustrans vniuersa in circuitu pergunt spiritus: et in circulo suo reuertitur. Ait salomon: Uidi cuncta que fiunt sub sole: et ecce vniuersa vanitas et afflictio spiritus. Ait salomon: Magnificauit opera mea: edificauit mihi domos: plantaui vineas: feci ortos et pomeria: et consiui ea cuncti generis arboribus. Et extruxi mihi piscinas aquarum: vt irrigarem siluam lignorum germinantium. Possedi seruos et ancillas: multamque familiam habui. Armenta quoque et ouium greges vltra omnes qui fuerunt ante me in hierusalem. Coaceruauit mihi argentum et aurum et substantias regum ac prouinciarum: feci mihi cantores et cantatrices: et delicias filiorum hominum. Scyphos et vrceos in ministerio ad vina fundenda. Et supergressus sum opibus omnes qui fuerunt ante me in hierusalem. Sapientia quoque perseueravit mecum. Et omnia que desiderauerunt oculi mei non negavi eis: nec prohibui meum cor quin omni voluntate frueretur: et oblectaret se in his que preparaueram. Et hanc ratus sum partem meam. Si vterer labore meo: cumque me conuertissem ad vniuersa opera que fecerant manus mee: et ad labores in quibus frustra sudaueram: vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi: et nihil permanere sub sole. Ait salomon: Morietur doctus similiter et indoctus: et iccirco tediit me vite mee videntem mala esse vniuersa sub sole: et cuncta vanitatem atque afflictionem spiritus. 5. capitulo. Sicut egressus est homo nudus de vtero matris sue: sic reuertitur et nihil aufert secum de labore suo. 7. capitulo. Ait salomon: Solummodo hoc inueni quod fecerit deus hominem rectum: et ipse se infinitis miscuerit questionibus. 11. capitulo. Adolescentia et voluptas vana sunt.

Commented [CN32]: fol.8vb

Esaias propheta capitulo 40. Omnis caro fenum et omnis gloria eius quasi flos agri.

Iesus filius syrach in ecclesiastico. Omnis caro sicut fenum veterascet. Capitulo 18. Numerus dierum hominum vt multum centum anni quasi gutte aque amare deputatus est.

Tullius de oratore libro 3. et finali. O fallaces hominum spem: fragilemque fortunam et inanes vestre conceptiones que mediocri in spacio sepe franguntur et corruunt: vt ante ipso cursu obruantur quam portum conspicerere potuerit.

Mattheus in euangelio 18. Uhe mundo a scandalis.

Paulus apostolus epistola ad romanos capitulo 8. Uanitati creatura subiecta est.

Seneca de consolatione ad paulinum. **Omnia** ista bona que nos speciosa sed fallaci voluptate delectant: pecunia: dignitas: potentia: aliaque complura ad que generis humani ceca cupiditas obstupescit: cum labore possidentur: cum inuidia conspiciuntur: eosdemque ipsos quos exhorant premunt: et plus eis minantur quam prosunt: lubrica et in terra sunt: nunquam bene tenentur.

Commented [CN33]: fol.9ra

Lucanus libro 4. Felix qui potuit mundi vitare ruinam.

Boetius de consolatione libro i. capitulo 3. Heu quam precipiti mersa profundo: mens habet et propria luce relicta. Tendit in extremas ire tenebras. Terrenis quotiens flatibus acta. Crescit immensum noxia cura. Libro 2. capitulo 7. Quis est tam composite felicitatis vt non aliqua ex parte cum status sui qualitate rixetur. Anxia enim res est humanorum bonorum conditio. Et que vel nunquam tota proueniat vel nunquam tota perpetua subsistat: huic census exuberat: sed est sibi pudori degenerare sanguis: hunc nobilitas notum facit: sed angustia rei familiaris inclusus mallet esse ignotus. Ille vtroque circumfluis vitam celibem deflet. Ille nuptiis felix omnibus liberis alieno censum nutrit heredi. Alius prole letatur: filii filie eue delictis mestus illachrimat. Iccirco nemo facile cum fortune sue conditione concordat. Inest enim singulis quod inexpertus ignoret expertus exhorreat. Quam multis amaritudinibus humane felicitatis dulcedo respersa est: que si etiam fruendi iocunda esse videatur: tamen quo minus cum velit habeat retineri non potest.

Bernardus libro de improbatione vitiorum capitulo 9. et finali. Omniaque cernis vanarum gaudia rerum. Umbra velut tenuis veloci cursu recedunt.

Gualterius de castellatione libro 8. Quam friuola gloria rerum. Quam mundi fugitiuus honor quam nomen inane. Libro 10. et finali. Ecce repentine modice occasio febris. Dissoluit toto quecunque parauimus euo. Magna in exemplo est cui non suffecerat orbis. Sufficit excissa de fosso marmore petra. Quinque pedum fabrica domus: qua nobile corpus exigua requieuit humo.

De mundo et carnalibus concupiscentiis contemnendis propter futuram gloriam anime post mortem corporis: Rubrica 25

Commented [CN34]: fol.9rb

Psalmista 61. psalmo. Diuitie si afflubant nolite cor apponere.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 11. Si diues fueris non eris immunis a delicto.

Marcus in euangelio capitulo 5. Si oculus tuus dexter scandalizat te erue eum et proiice abs te: expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. 6. capitulo. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra vbi erugo et tinea demolitur: et vbi fures effodiunt et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in celo: vbi neque erugo neque tinea demolitur: et vbi fures non effodiunt neque furantur. Ubi thesaurus tuus ibi est et cor tuum. Idem dicit lucas in euangelio capitulo 12. 16. capitulo. Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur anime vero sue detrimentum patiatur: aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Idem dicit marcus 8. capitulo. 18. capitulo. Uhe mundo a scandalis. 19. capitulo. Ait iesus. Si vis perfectus esse vade et vende omnia que habes et da pauperibus: et habebis thesaurum in celo: et veni sequere me. Iesus dixit discipulis suis: Amen dico vobis: quia diues difficile intrabit in regnum celorum. et iterum dico vobis: Facilius est camelum per foramen acus transire quam diuitem intrare in regnum celorum. Auditis autem his discipuli: mirabantur valde dicentes: Quis poterit saluus esse: aspiciens autem iesus dixit illis: Apud homines hoc impossibile est: apud deum autem omnia possibilia sunt. Idem dicit lucas in euangelio capitulo 18. Ait iesus: Omnis qui reliquit domum vel fratres aut sorores: aut patrem: aut matrem: aut uxorem: aut filios: aut agros propter nomen meum: centuplum accipiet et vitam eternam possidebit. Idem dicit lucas in euangelio capitulo 18.

Marcus in euangelio capitulo 8. Iesus cepit docere discipulos suos: quoniam oportet filium hominis multa pati et reprobari a senioribus et a summis sacerdotibus et scribis et occidi: et post tres dies resurgere et palam verbum loquebatur: et apprehendens eum petrus cepit increpare eum. Qui conuersus et videns discipulos suos comminatus est petro dicens: Uade retro sathanas: quoniam non sapis que dei sunt sed que hominum sunt. 10. capitulo. Quam difficile est confidentes in pecunias in regnum dei intrare.

Lucas in euangelio capitulo 9. Quid proficit homini si vniuersum mundum lucretur: se autem ipsum perdat et detrimentum sui faciat. Capitulo 16. Filii huius seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. Ait iesus: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt cum defeceritis: recipiant vos in eterna tabernacula. Idem in actibus apostolorum capitulo 5. Obedire oportet deo magis quam hominibus.

Iacobus apostolus epistola vnica capitulo i. Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit generat mortem. Capitulo 3. Nolite gloriari et mendaces esse aduersus veritatem. Non est enim ista sapientia desursum descendens: sed terrena animalis diabolica. Que desursum est sapientia primum quidem pudica est: deinde pacifica: modesta suadibilis: bonis consentiens: plena misericordia et fructibus bonis: iudicans sine dissimulatione. Capitulo 4. Unde bella et lites inter vos: nonne hinc ex concupiscentiis vestris que militant in membris vestris. Amicitia huius mundi inimica est dei. Quicumque voluerit amicus esse seculi huius: inimicus dei constituitur.

Petrus apostolus epistola i. capitulo 2. Abstinetes vos a carnalibus desideriis que militant aduersus animam.

Commented [CN35]: fol.9va

Ioannes apostolus epistola i. capitulo 2. Nolite diligere mundum: neque ea que in mundo sunt. Siquis diligit mundum: non est charitas patris in eo: quoniam omne quod in mundo est: concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum: et superbia vite que non ex patre sed ex mundo est: et mundus transibit et concupiscentia eius. Qui autem facit voluntatem dei manet in eternum.

Paulus apostolus epistola ad romanos capitulo 8. Qui secundum carnem sunt: que carnis sunt sapiunt: qui vero secundum spiritum: que sunt spiritus sentiunt: nam prudentia carnis mors est: prudentia autem spiritus vita et pax: quoniam sapientia carnis inimica est deo: legi enim dei non est subiecta. nec enim potest. Qui autem in carne sunt: deo placere non possunt. Uos autem in carne non estis: sed in spiritu: si tamen spiritus dei habitat in vobis etc. Si secundum carnem vixeritis moriemini: si autem spiritu facta carnis mortifica ueritis uiuetis. Quicumque enim spiritu dei aguntur: hii filii sunt dei. Idem epistola i. ad corinthios capitulo 3. Sapientia huius mundi: stultitia est apud deum. Idem paulus epistola ad galathas capitulo 6. Caro concupiscit aduersus spiritum: spiritus autem aduersus carnem: hec enim inuicem sibi aduersantur. Idem epistola ad timotheum capitulo 6. et finali. Habentes alimenta et quibus tegamur: his contenti sumus: nam qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem: et laqueum diaboli et desideria multa et inutilia et nociua: que mergunt homines in interitum et perditionem. Radix omnium malorum est cupiditas. Idem epistola 2. ad timotheum capitulo 2. Nemo militans deo implicat se negociis secularibus: vt ei placeat cui se probauit. Seruum domini non oportet litigare: sed mansuetum esse ad omnes docibilem patientem: cum modestia corripentem eos qui resistunt veritati.

Seneca in epistolis ad lucillum libro 3. epistola 4. Nemo alius est deo dignus quam qui opes contempsit: quarum positionem tibi non interdico sed efficere volo vt illas intrepidus possideas: quod vno consequeris modo si te etiam sine illis beatum victurum persuaseris tibi. Si illas tanquam exituras semper aspexeris.

Cassiodorus epistolarum libro 4. epistola 36. Melius est damna presentia contemnere quam exiguo questu perpetua commoda non habere.

Isidorus soliloquiorum libro i. capitulo 4. Transeunt omnia seculi huius: et non permanent: habent sub celo finem suum omnia. Libro 2. capitulo 53. Diuitie nunquam sine peccato acquiruntur. Nemo potest amplecti gloriam dei simul et seculi.

De peccatorum conuersione ad religionem: Rubrica 26

Iob hystoria capitulo 22. Si reuersus fueris ad omnipotentem ediscaberis et longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo.

Tobie hystoria capitulo 13. et finali. Conuertimi peccatores et facite iustitiam coram deo: credentes quod faciat misericordiam suam vobiscum.

Malachias propheta capitulo 3. Reuertimini ad me: et reuertar ad vos: dicit dominus. Conuertimini et videbitis quid sit inter iustum et impium: et inter seruientem domino et non seruientem ei.

Commented [CN36]: fol.9vb

Commented [CN37]: fol.10ra

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 5. Non tardes conuerti ad dominum: et ne deferas de die in diem: subito enim venit hora illius: et in tempore vindicte disperdet te. 17. capitulo. Conuertere ad dominum et relinquere peccata tua. Quam magna misericordia domini: et propitiatio conuertentibus ad se.

Augustinus in epigrammata prosperi 7. capitulo. Remedia conuersionis ad dominum nullis cunctationibus differenda sunt: ne tempus correctionis pereat tarditate. Qui enim penitenti indulgentiam promisit dissimulanti diem crastinum non spondit.

Esaias propheta capitulo 55. Derelinquat impius viam suam: et vir iniquus cogitationes suas: et reuertatur ad dominum et miserebitur eius: quoniam multus est ad ignoscendum.

Ezechiel propheta capitulo 18. Nunquid voluntatis mee est mors impii dicit dominus deus: et non vt conuertatur a viis suis et uiuat. Cum auerterit se impius ab iniquitate sua quam operatus est et fecerit iudicium et iustitiam: ipse animam suam viuificabit. Capitulo 33. Dicit dominus deus: Nolo mortem impii: sed vt reuertatur impius a via sua et uiuat. Impietas impii non nocebit ei in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua.

Boetius de consolatione libro 5. et finali capitulo 11. et finali. Aduersamini vitia: colite virtutes: ad rectas spes animum subleuate: humiles preces in excelsa porrigite. Magna nobis est si dissimulare non vultis necessitas indicta probitatis: cum ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis.

Isidorus soliloquiorum libro i. capitulo 9. Animus **sceleribus** astrictus diuelli ab eis vix potest.

Commented [CN38]: fol.10rb

De penitentia et contritione peccatorum: Rubrica 27

Psalmistia 33. psalmo. Iuxta est dominus his qui tribulato sunt corde et humiles spiritu saluabit. Multe tribulationes instorum: et de his omnibus liberabit eos. 146. psalmo. Qui seminant in lachrymis in exultatione metent.

Ezechiel propheta. Si impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis que operatus est et custodierit omnia precepta mea et fecerit iudicium et iustitiam: vita viuet et non morietur: omnium iniquitatum eius: quas operatus est: non recordabor ait dominus. Conuertimini et agite penitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: et non erit vobis in ruinam iniquitas.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo i. Altissimus odio habet peccatores: et misertus est penitentibus.

Matheus in euangelio capitulis 3. et 4. Penitentiam agite: appropinquabit enim regnum celorum. Capitulo 5. Beati qui lugent quoniam ipsi consolabuntur.

Lucas in euangelio capitulo tertio. Facite dignos fructus penitentiae. Idem in actibus apostolorum capitulo tertio. Peniteamini et conuertimini vt deleantur peccata vestra.

Paulus apostolus epistola 2. ad corinthinos capitulo 7. Que enim secundum deum tristitia est: penitentiam in salutem stabilem operatur. Seculi autem tristitia mortem operatur.

Seneca tragediarum in agamenone capitulo 4. Quem penitet peccasse pene est innocens. Idem de naturalibus questionibus libro secundo: Fidelissimus est qui ad honesta ex penitentia transit.

Cecilius firmianus de beata vita libro 3. Multo firmior est fides quam reponit penitentia.

Isidorus in sinonima soliloquiorum libro i. capitulo 12. Facile penitentibus diuina clementia subuenit. Per penitentiam indulgentia datur. Per penitentiam delicta omnia abstergantur. 16. capitulo et finali. Inanis est penitentia quam culpa sequens coinquinat.

Commented [CN39]: fol.10va

De paradiso salute premio et gloria animarum bonorum hominum: Rubrica 28

Psalmistia 7. psalmo. Dominus saluos facit rectos corde. 9. psalmo. Patientia pauperum non peribit in finem. 14. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo: aut quis requiescet in monte sancto tuo. Qui ingreditur sine macula: et operatur iustitiam. Qui loquitur veritatem in corde suo: qui non egit dolum in lingua sua: nec fecit proximo suo malum: et obprobrium non accepit aduersus proximos suos: ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus: timentes autem dominum glorificat. Qui iurat proximo suo et non decipit: qui pecuniam suam non dedit ad vsuram: et munera super innocentes non accepit. Qui facit hec non commouebitur in eternum. 23. psalmo. Quis ascendet in montem domini: aut quis stabit in loco sancto eius. Innocens manibus et mundo corde: qui non accepit in vano animam suam: nec iurauit in dolo proximo suo. Hic accipiet misericordiam a domino: et misericordiam a deo salutari suo. 36. psalmo. Salus iustorum a domino: et protector eorum in tempore tribulationis: et adiuuabit eos dominus et liberabit eos: et eruet eos a peccatoribus: et saluabit eos: quia sperauerunt in eo. 111. psalmo. In memoria eterna erit iustus. 170. psalmo et antepenultimo. Dominus exultabit mansuetos in salutem. Exultabunt sancti in gloria.

Salomon in prouerbiis capitulo 28. Qui ambulat simpliciter saluus erit. 12. capitulo finali. Spiritus redit ad deum qui dedit illum.

Tobie hystoria capitulo 3. Hoc pro certo habet omnis qui colit deum: quia vita eius si in probatione fuerit coronabitur. 4. capitulo. Multa bona habebimus si timuerimus deum: et recesserimus ab omni peccato: et fecerimus bene.

Isaias propheta capitulo 33. Diuitie salutis sapientia et scientia.

Commented [CN40]: fol.10vb

Plato in fedrone. Est in re vera: defune.

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 2. In igne probatur aurum et argentum: homines vero receptibiles in camino humiliationis. 3. capitulo. Quanto magnus es humiliare in hominibus: et coram deo inuenies gratiam.

Tullius tusculanarum questionum libro i. Socrates disseruit duas esse vias. Duplicesque cursus animorum corpore excedentium. Nam qui se humanis vitiis contaminassent: et se totos libidibus dedissent: quibus cecati velut domesticis vitiis atque flagitiis se inquinassent vel publica violanda fraudes inexpliabilis concepissent: his demum quoddam iter esse seclusum a concilio deorum. Qui autem se integros castosque seruauissent quibusque fuisset minima corporis contagiose

seque ab his semper cauissent essetque in corporibus humanis vitam imitati deorum his ad illos a quibus essent perfecti reditum facile patere.

Pilon seu philemon libro sapientie capitulo 2. Dixerunt apud se non recte cogitantes. Exiguum et cum tedio est tempus vite nostre. Et non est refrigerium in fine hominis. Et non est qui agnitus sit reuersus ab inferis. Quia ex nihilo nati sumus: et post hoc erimus tanquam si non fuerimus. 3. capitulo. Iustorum anime in manu dei sunt et non tanget illos tormentum mortis. 5. capitulo. Iusti in perpetuum uiuent: et apud dominum est merces eorum. 6. capitulo. Concupiscentia sapientie deducet ad regnum perpetuum.

Mattheus in euangelio capitulo 5. Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum celorum. Beati mundo corde: quoniam ipsi deum videbunt. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum celorum. Capitulo 7. Quam angusta porta et arcta via est que ducit ad vitam: et pauci sunt qui inueniunt eam. 10. capitulo. Qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit. 11. capitulo. Ait iesus: non surrerit inter natos mulierum maior ioanne baptista. Qui autem minor est in regno celorum: maior est illo. Idem dicit lucas in euangelio capitulo 7. 13. capitulo. Iusti fulgebunt sicut sol in regno patris. 19. capitulo. **Paruulorum** est regnum celorum. Ait iesus discipulis suis: Amen dico vobis quia diues difficile intrabit in regnum celorum. et iterum dico vobis facilius est camelum per foramen acus transire quam diuitem intrare in regnum celorum. Auditis autem his discipuli mirabantur valde dicentes: Quis ergo poterit saluus esse. Aspiciens autem iesus dixit illis: Apud homines impossibile est: apud deum autem omnia possibilia sunt. Idem dicit lucas capitulo 18.

Commented [CN41]: fol.11ra

Marcus in euangelio capitulo 10. Paruulorum est regnum dei. Quisquis non receperit regnum dei velut paruulus non intrabit in illud. Quam difficile est confidentes in pecuniis in regnum dei intrare. 11. capitulo. Cum a mortuis resurrexerint neque nubent neque nubentur: sed sicut angeli dei sunt in celis.

Lucas in euangelio capitulo 8. Quicumque non accepit regnum dei sicut puer: non intrabit in illud. Idem in actibus apostolorum capitulo 4. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum dei.

Ioannes apocalypsi capitulo 2. Esto fidelis vsque ad mortem et dabo tibi coronam vite: ait deus. 14. capitulo. Beati mortui qui in domino moriuntur: amodo enim iam dicit spiritus: vt requiescant a laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos.

Paulus apostolus epistola ad romanos capitulo 14. Non est in regno dei esca et potus: sed iustitia et pax et gaudium in spiritu sancto. Idem apostolus epistola i. ad corinthios capitulo 2. Oculus non vidit nec auris audiuit: nec in cor hominis ascendit: que preparauit deus his qui diligunt illum. 15. capitulo. Non viuificatur nisi prius moriatur. Seminatur corpus animale: surget corpus spirituale. Caro et sanguis regnum dei possidere non possunt. Idem epistola ad galathas capitulo 6. et finali. Bonum facientes non deficiamus tempore enim suo metemus non deficientes.

Seneca tragediarum in hercule hereo. capitulo 26. et finali. Nunquam stigas fertur ad vbras Inclyta virtus in vite fortis. Nec leteos seua per amnes Uos fata trahent: sed cum summas Exiget horas consumpta dies: Iter ad superos gloria pandet.

Auctor libelli de formula honestatis capitulo 7. et finali quod est epilogus: In regno dei non est distinctio quis esset in seculo laicus aut clericus: diues aut pauper: **iunior** aut senior: seruus aut dominus: sed vnusquisque secundum meritum boni operis perpetua coronabitur gloria.

Commented [CN42]: fol.11rb

Augustinus in epigramata prosperi epigrama 78. capitulo. Qui domino seruiunt ea bona acquirunt que perire non possunt.

Boetius de consolatione libro 4. capitulo 5. Est premium bonorum quod nullus detrahat dies: nullius minuat potestas: nullius fuscet improbitas. Que cum ita sint de malorum quoque inseparabili pena dubitare sapiens nequeat: nam cum bonum malumque item pena atque premium aduersa fronte desideant que in bono premio videmus accedere eadem necesse est in mali pena contraria parte respondeant.

Cassiodorus epistolarum libro 2. capitulo 40. In celesti beatitudine veraciter sine fine gaudium est. Sine aliquo tedio manens semper eternitas. Et inspectio sola diuinitatis efficit vt beatius esse nil possit: hec veraciter perhennitatem prestat: hec iocunditas accumulatur. Idem cassiodorus de anima capitulo 14. Cum fuerimus hac luce imperio creatoris exuti: simul corporis appetitiones et imbecillitates amittimus: non enim vlterius labore frangimur: non cibo reficimur: non ieiunii diuturnitate quassamur: sed in anime nostre natura iugiter perseuerantes nihil boni malique faciemus: sed vsque ad diem iudicii: aut de preteritorum actuum prauitate meremus: aut operationis nostre probitate letamur: tunc autem accipiemus factorum omnium plenissimum fructum quando voce domini aut repudiati fuerimus: aut ad regnum perennitatis admissi. Distans beatitudo bonos continet: et impios dispar pena constringit.

Bernardus libro de improbatione vitiorum capitulo 9. et finali. Id solum temet post mortis facta beabit. Quod bene quod iuste quidem recte feceris ipse.

Mattheus vindocinensis de hystoria tobie capitulo 16. Est hec vita breuis tenebrosa sophistica vita. Est ventura manens lucida vera dies. Capitulo 66. et antepenultima. Iustus obit nec obit: sed abit ab hospite migrans. Carne petit patriam delitiasque patris.

De diabolo: Rubrica 29

Plato in timeo. Inuisibilium diuinarum potestatum que demones nuncupantur prestare rationem maius est opus quam ferre valeat hominis ingenium.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo. 21. Dum maledicit ipsius diabolum maledicit et ipse animam suam.

Commented [CN43]: fol.11va

Ioannes in euangelio capitulo 8. Diabolus mendax est et pater eius.

Ioannes epistola 1. capitulo 3. Qui facit peccatum ex diabolo est. In hoc apparuit filius dei vt dissoluat opera diaboli. Idem in apocalypsi capitulo 12. Serpens antiquus qui vocabatur diabolus et sathanas qui seducit vniuersum orbem proiectus est de celo in terram: et angeli eius cum eo missi sunt.

Petrus apostolus epistola i. capitulo 3. Sobrii estote et vigilate: quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens querens quem deuoret.

Iacobus apostolus in epistola vnica capitulo 2. Tu credis quod vnus est deus: bene facis: et demones credunt et contremiscunt. Capitulo 3. Nolite gloriari et mendaces esse aduersus veritatem. Non est enim ista sapientia desursum descendens: sed terrena animalis diabolica. Capitulo 4. Resistite diabolo et fugiet a vobis.

Paulus apostolus epistola ad ephesios capitulo 6. et finali. Induite vos armatura dei: vt possitis stare aduersus insidias diaboli etc. Accipite armaturam dei: vt possitis resistere in die malo et in omnibus perfecti stare: state ergo succincti lumbos vestros in veritate: et induti lorica iustitie: et calciati pedes in preparatione euangelii pacis: in omnibus sumentes scutum fidei: in quo possit omnia tela nequissimi ignea extinguere: et galeam salutis assumite: et gladium spiritus quod est verbum dei. Idem epistola i. ad timotheum. Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem: et laqueum diaboli et desideria multa et inutilia et nociua. Que mergunt homines in interitum et perditionem.

Isidorus in sinonima soliloquiorum libro i. Spiritus qui ad peccandum succendit: peccantem sepe subito rapit. Libro 2. capitulo 6. Immundus spiritus orationis instantia vincitur. Demonia oratione deiiciuntur: alius vincuntur. Oratione demonia suprantur.

De peccato et peccatoribus consideratione religiosa: Rubrica 30

Psalmista i. psalmo. Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum: et in via peccatorum non stetit. Psalmo 10. Qui diligit iniquitatem odit animam suam. 36. psalmo. Considerat peccator iustum et querit mortificare eum: dominus autem non derelinquet eum in manibus eius.

Salomon in prouerbiis capitulo 23. Ne emuletur cor tuum peccatores: sed in timore dei estote tota die: quia habebis spem in nouissimo: et prestolatio tua non auferetur.

Thobie hystoria capitulo 12. Qui faciunt peccata et iniquitatem: hostes sunt animae sue.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 5. Non adicias peccatum: et ne dicas miseratio dei magna est: multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Capitulo 9. Non zeles gloriam et opes peccatoris: non enim scis que futura sit illius subuersio.

Mattheus in euangelio capitulo 19. Iesus dixit: Non homicidium facies: non adulterabis: non facies furtum: non falsum testimonium dices.

Ioannes in epistola capitulo i. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus: ipsi nos seducimus: et veritas in nobis non est. Capitulo 8. Omnis qui facit peccatum: seruus peccati est. Capitulo 9. Si ceci essetis: non haberetis peccatum. Idem epistola i. capitulo 3. Omnis que facit peccatum et iniquitatem facit: et peccatum est iniquitas. Qui facit peccatum ex diabolo est. Capitulo 5. et finali. Omnis iniquitas peccatum est: et est peccatum ad mortem. Idem epistola 2. capitulo vnico. Qui malefacit non videt deum.

Commented [CN44]: fol.11vb

Iudas alpei apostolus: qui fuit frater iacobi apostoli epistola vnica capitulo 2. et finali.

Peccatores impii hi sunt: murmuratores: querulosi secundum desideria sua ambulantes: et os illorum loquitur superbiam: mirantes personas questus causa.

Iacobus apostolus epistola vnica capitulo i. Peccatum cum consummatum fuerit generat mortem. Capitulo 4. Scienti bonum facere et non facienti peccatum est.

Paulus apostolus epistola i. ad corinthios capitulo 10. Non potestis mense dei participes esse et mense demoniorum. Capitulo 15. Stimulus mortis peccatum est.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 17. epistola 2. Omnibus crimen suum voluptati est. Idem de moribus. Omne peccatum actio est voluntaria.

Isidorus soliloquiorum libro 2. capitulo 9. Sepe **occasio** peccandi voluntatem facit.

Commented [CN45]: fol.12ra

Mattheus vindocinensis in poetria: particula i. capitulo 6. Peccatum geminat peccantis gloria: culpam. Diffamat fame dissipentis honor. Capitulo 12. Uenialis est peccandi incidentia: sed criminalis peccandi frequentia.

De inferno et penis animarum peccatorum: Rubrica 31

Psalmista 31. psalmo. Multa flagella peccatoris. 33. psalmo. Mors peccatorum pessima. 165. psalmus. Dominus omnes peccatores disperdet. 116. psalmus. Dominus viam peccatorum disperdet.

Salomon in prouerbiis capitulo 23. Noli subtrahere a puero disciplinam. Si enim percusserim eum virga non morietur: tu virga percutis eum: et animam eius de inferno liberabis.

Ezechiel propheta capitulo 18. Cum auerterit se iustus a iustitia sua et fecerit iniquitatem et morietur in eis: in iniustitia sua quam operatus est: morietur. capitulo 33. Iustitia iusti non liberabit eum in quacunque die peccauerit.

Paralpomenon libro i. capitulo 28. et penultima. Si dereliqueris deum proiciet te in eternum.

Plato in fedrone. Est ire vera defunctorum animas extare: et bonis melius esse: malis autem deterius.

Jesus filius sirach capitulo 4. Cor durum male habebit in nouissimo. 14. capitulo. Non est apud inferos inuenire cibum.

Tullius tusculanarum questionum libro i. Socrates deseruit etc. vt supra titulo 4. de paradiso. Idem tullius inuectuarum in catilinam libro 4. et finali. Ut aliqua inuita formido improbis esset posita apud inferos antiqui supplicia impiis constituta esse voluerunt. etc.

Mattheus in euangelio capitulo 3. Omnis arbor que non facit fructum bonum: excidetur et in ignem mittetur. Idem dicit infra eo. Idem dicit lucas in euangelio capitulo 3. Capitulo 7. Lata porta et spaciosa via que ducit ad perditionem: et multi sunt qui intrant per eam: quam angusta porta et arta via est que ducit ad vitam: et pauci qui inueniant eam. **Capitulo 16.** Quid prodest

Commented [CN46]: fol.12rb

homini si vniuersum mundum lucretur: anime vero sue detrimentum patiatur: aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Idem dicit marcus 8. capitulo.

Paulus apostolus epistola i. ad corinthios capitulo 6. Iniqui regnum dei non possidebunt. Idem epistola ad hebreos capitulo 13. et finali. Fornicatores et adulteros iudicabit deus.

Augustinus in epigrammata prosperi 50. epigramma. Non curandum est multum necessario morituris quid accidat vt moriantur: sed quo cogantur ire moriendo.

Boetius de consolatione libro 4. capitulo 7. Magna quidem post defectum morte corpus animarum supplicia relinquuntur: quorum alia penali actione: alia vero purgatoria clementia dei exercentur.

De christo et trinitate diuina: Rubrica 32

Psalmistia 117. psalmo. Lapidem quem reprobauerunt edificantes: hic factus est in caput anguli: a domino factum est istud: hoc est mirabile in oculis nostris: hec dies quam fecit dominus: exultemus et letemur in ea.

Ioannes in euangelio capitulo 3. Spiritus vbi vult spirat: et vocem eius audis: sed non scis vnde veniat aut quo vadat. Capitulo 5. Pater non iudicat quenquam: sed omne iudicium dedit filio vt honorificent omnes filium sicut honorificant patrem qui misit illum. Qui non honorificat filium non honorificat patrem. Capitulo 6. Ait iesus: Hec est voluntas patris mei qui misit me: vt omnis qui videt filium et credit in eum habeat vitam eternam: et resuscitabo eum in nouissimo die. Ait iesus: Nemo potest venire ad me nisi pater qui misit me traxerit illum. Spiritus est qui viuificat. 15. capitulo. Dicit iesus: Nemo venit ad patrem nisi per me. Ait iesus: Qui videt me videt et patrem. Ait iesus: Qui diligit me diligitur a patre meo. Iesus dixit: Siquis diligit me sermonem meum seruabit: et pater meus diliget eum: et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus. Ait iesus: pater maior me est.

Commented [CN47]: fol.12va

De fide seu firma credulitate religionis dei et diuine trinitatis: Rubrica 33

Moyses in deuteronomio capitulo 6. Non tentabis dominum deum tuum.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 2. Uhe peccatori terram ingredienti duabus viis. Uhe dissolutis corde qui non credunt deo: et ideo non protegentur ab eo. 32. capitulo. Qui credit deo attendit mandatis: et qui confidit in illo non minorabitur.

Pylon siue philemon libro sapientie capitulo i. Apparet dominus illis qui fidem habent in illum. Capitulo i. Sentite de domino in bonitate: et in simplicitate cordis: querite illum: quoniam inuenitur ab his qui non tentant illum: apparet his qui fidem habent in illum.

Marcus in euangelio capitulo 4. Omnia possibile sunt credenti. 19. capitulo et finali. Qui crediderit et baptisatus fuerit saluus erit: qui vero non crediderit condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint hec sequentur: In nomine meo demonia eiicient: linguis loquentur nouis: serpentes

tollent: et si mortiferum quid biberint non eis nocebit: super egros manus imponent: et bene habebunt.

Lucas in euangelio capitulo 17. Dixit iesus discipulis suis: Si haberetis fidem sicut granum sinapis: et diceretis huic arbori: modo eradicare et transplantare in mare obediret vobis.

Ioannes in euangelio capitulo 3. Qui credit in filium dei non iudicatur: qui autem non credit iam iudicatus est. Qui credit in filium habet vitam eternam. Qui autem incredulus est filio: non videbit vitam: sed ira dei manet super eum. Capitulo 5. Ait iesus: Qui verbum meum audit: et credit ei qui misit me: habet vitam eternam: et in iudicium non venit: sed transiet de morte in vitam. Ait iesus: Si crediissetis moysi crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit. Capitulo 6. Ait iesus: Hoc est opus dei vt credatis in eum quem misit ille. Ait iesus: Hoc est voluntas patris mei qui misit me: vt omnis qui videt filium et credit in eum habeat vitam eternam: et resuscitabo eum in nouissimo die. Ait iesus: Qui credit in me habet vitam eternam. Capitulo 10. Ait iesus: Si mihi non vultis credere: operibus credite. Capitulo 11. Dixit iesus: Ego sum resurrectio et vita: qui credit in me: etiam si fuerit mortuus viuet: et omnis qui viuuit et credit in me: non morietur in eternum. Capitulo 12. Ait iesus: Ego lux in medium veni: vt omnis qui credit in me in tenebris non maneat. Idem in apocalypsi capitulo 2. Esto fidelis vsque ad mortem: et dabo tibi coronam vite: ait deus.

Iacobus apostolus epistola vnica capitulo 2. Fides si non habeat opera mortua est in semetipsa. Tu credis quod vnus est deus: bene facis: et demones credunt: et contremiscunt. Sicut corpus sine spiritu mortuum est: ita et fides sine operibus mortua est.

Paulus apostolus epistola ad romanos capitulo i. Uirtus dei est in salutem omni credenti. Capitulo 10. Finis legis est christus ad iustitiam omni credenti. Corde creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem. 14. capitulo. Omne quod non est ex fide: peccatum est. Idem apostolus epistola ad galathas capitulo 2. Non iustificatur homo ex operibus legis: nisi per fidem iesu christi. Capitulo 3. Omnes filii dei estis per fidem in christo iesu. 5. capitulo. In christo iesu fides valet que per charitatem operatur. Idem epistola ad epheseos capitulo 6. et finali. Induite vos armatura dei: vt possitis stare aduersus insidias diaboli etc. Accipite armaturam dei vt possitis resistere in die malo et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate et induite lorica iustitie: et calciati pedes in preparatione euangelii pacis: in omnibus sumentes scutum fidei. In quo possetis omnia tela nequissimi ignea extinguere: et galeam salutis assumite: et gladium spiritus quod est verbum dei. Idem ad timotheum epistola i. capitulo i. Finis precepti est charitas de corde puro et consciencia pura et fide non ficta. Idem epistola ad hebreos capitulo 11. Fides est sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium. Sine fide impossibile est placere deo: credere enim oportet accedentem ad deum quia est et inquirentibus se: remunerator fit.

De corporis et sanguinis christi religione: Rubrica 34

Mattheus in euangelio capitulo 26. Cenantibus iesu et discipulis eius accepit iesus panem et benedixit ac fregit: deditque discipulis suis et ait illis: Accipite et comedite: hoc est corpus

Commented [CN48]: fol.12vb

Commented [CN49]: fol.13ra

meum. Et accipiens calicem gratias egit et dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus noui testamenti: qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Lucas in euangelio capitulo 22. Iesus in cena quam agebat cum discipulis suis: accepto panem gratias egit et fregit et dedit eis: dicens: hoc est corpus meum quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem postquam cenauit dicens: Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo que pro vobis effundetur.

Ioannes in euangelio capitulo 6. Dixit iesus: Ego sum panis vite: qui venit ad me non esuriat: et qui credit in me non sitiet vnquam. Ait iesus: Ego sum panis viuus qui de celo descendi: siquis manducauerit ex hoc pane viuat in eternum: et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Dixit iesus: Nisi manducaueritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam eternam: et ego resuscitabo eum in nouissimo die. Caro enim mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in illo.

Paulus apostolus epistola i. ad corinthios capitulo 11. Quicumque manducauerint panem vel biberit calicem domini indigne: reus erit corporis et sanguis domini.

De baptismo: Rubrica 35

Mattheus in euangelio capitulo 28. et finali. Ait iesus discipulis suis post resurrectionem suam: Euntes docete omnes gentes: baptisantes eos in nomine patris et filii et spiritus sancti.

Marcus in euangelio capitulo 19. et finali. Qui crediderit et baptisatus fuerit saluus erit.

Commented [CN50]: fol.13rb

Ioannes in euangelio capitulo 3. Ait iesus: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto: non potest introire in regnum dei.

Paulus apostolus epistola ad galathas capitulo 3. Quicumque in christo baptisati estis christum induistis.

Lucas in libro actuum apostolorum capitulo 2. Petrus apostolus ait: Penitentiam agite: et baptisentur vnusquisque vestrum in nomine iesu christi in remissionem peccatorum vestrorum: et accipietis donum sancti spiritus.

De commissione auctoritatis et officii a iesu data petro et ceteris eius discipulis. Rubrica 36.

Mattheus in euangelio capitulo 16. Ait iesus petro apostolo: Tu es petrus et super hanc petram edificabo ecclesiam meam: et porte inferi non patebunt aduersus eam: et dabo tibi claues regni celorum: et quodcunque ligaueris super terram erit ligatum et in celis: et quodcunque solueris super terram: erit solutum et in celis. Capitulo 18. Ait iesus discipulis suis: Amen dico vobis: quecunque alligaueritis super terram erunt ligata et in celo: et quecunque solueritis super terram erunt soluta et in celo.

Ioannes in euangelio capitulo 20. Dixit iesus discipulis suis post suam resurrectionem: Pax vobis. Sicut misit me pater et ego mitto vos. Hec cum dixisset insufflauit et dixit eis: Accipite spiritum sanctum: quorum remisistis peccata remittuntur eis: et quorum retinueritis retenta sunt. Capitulo 21. et finali. Iesus post resurrectionem suam ait petro apostolo: Pasce agnos meos. Item dixit eidem: pasce oues meas.

De confessione et indulgentia peccatorum: Rubrica 37

Psalmista in psalmo 31. Beati quorum remisse sunt iniquitates: et quorum tecta sunt peccata. 117. psalmo. Confitemini domino quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius.

Salomon in prouerbii capitulo 28. Qui abscondit scelera sua non dirigitur. Qui autem confessus fuerit et reliquerit ea misericordiam consequetur. Idem in ecclesiaste capitulo 10. Curatio cessare facit peccata maxima.

Commented [CN51]: fol.13va

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 4. Non confundaris confiteri peccata tua. Capitulo 17. Uiuus et sanus confiteberis et laudabis deum et glorificaberis in miserationibus illius.

Mattheus in euangelio capitulo 6. Si dimiseritis hominibus peccata eorum: dimittet et vobis pater vester celestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus nec pater vester dimittet peccata vestra.

Marcus in euangelio capitulo 11. Cum stabitis ad orandum dimittite siquid habetis aduersus aliquem: vt pater vester qui in caelis est dimittat vobis peccata vestra.

Lucas in euangelio capitulo 6. Dimittite et dimittetur vobis. Capitulo 17. Si peccauerit frater tuus in te increpa illum: et si penitentiam egerit dimitte illi: et si septies in die peccauerit in te: et septies in die conuersus fuerit ad te dicens penitet me: dimitte illi.

Ioannes in epistola i. capitulo i. Si confiteamur peccata nostra fidelis et iustus est dominus vt remittat nobis peccata nostra: et emundet nos ab omni iniquitate.

Iacobus apostolus epistola vnica capitulo 5. et finali. Confiteamini alterutrum peccata vestra.

Paulus apostolus epistola ad Romanos capitulo 10. Corde creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem.

Isidorus in sinonima soliloquiorum libro i. capitulo 12. Confessio sanat: confessio iustificat animum: confessio peccatis veniam donat. Nulla tam grauis est culpa que non habeat veniam. Capitulo 16. et finali. Frequentur peccans et lugens veniam vix meretur.

De futuro fine mundi: et futura resurrectione mortuorum: et futuro vniuersali iudicio dei secundum christianam religionem: Rubrica 38

Psalmista 101. psalmo. Celi peribunt.

Salomon in prouerbiis capitulo 11. Non proderunt diuitie in die ultionis. Iustitia autem liberabit a morte.

Malachias propheta capitulo 4. Dies veniet succensus quasi caminus: et erunt superbi et omnes facientes impietatem stipula: et inflammabit eos dies veniens.

Mattheus in euangelio capitulo 12. Omne verbum ociosum quod locuti fuerint homines reddent rationem de eo in die iudicii: ex verbis enim tuis iustificaberis: et ex verbis tuis condemnaberis.

Capitulo 13. In **consummatione** seculi mittet filius hominis angelos suos: et colligent de regno suo omnia scandala: et omnes qui faciunt iniquitatem: et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus et stridor dentium: tunc iusti fulgebunt vt sol in regno patris eorum. In consummatione seculi exhibunt angeli et separabunt malos de medio iustorum: et mittent eos in caminum ignis ardentis: ibi erit fletus et stridor dentium. 22. capitulo. In resurrectione nec nubent neque nubentur: sed sunt sicut angeli in celo. 24. Accesserunt ad iesum discipuli eius secreto dicentes: Dic nobis signum aduentus et consummationis seculi. Et respondens iesus dixit eis: Uidete ne quis vos seducat: multi enim venient in nomine meo dicentes: Ego sum christus: et multos seducent. Audituri enim estis prelia et opiniones preliorum. Uidete ne turbemini: oportet enim hec fieri: sed nondum est finis: consurget enim gens contra gentem et regnum in regnum: et erunt pestilentie et fames et terremotus per loca etc. et tunc scandalizabuntur multi et inuicem se tradent et odio hebunt inuicem. Et multi pseudo prophete surgent et seducent multos: et quoniam abundabit iniquitas refrigescet charitas multorum. Qui autem perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit etc. Tunc si quis dixerit vobis: ecce hic est christus: aut illic: nolite credere: surgent enim pseudo christi et pseudo prophete: et dabunt prodigia et signa magna: ita vt in errorem inducantur si fieri potest etiam electi etc. Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur: et luna non dabit lumen suum: et stelle cadent de celo: et virtutes celorum mouebuntur: et tunc patebit signum filii hominis in celo: et tunc plagent omnes tribus terre: et videbunt filium hominis venientem in nubibus celi cum virtute multa et maiestate et mittet angelos suos cum tuba et voce magna: et congregabunt electos eius a quattuor ventis: a summis celorum vsque ad terminos eorum etc. De die autem illa et hora nemo scit: neque angeli celorum. 25. capitulo. Cum venerit filius hominis cum maiestate sua et omnes angeli eius cum eo: tunc sedebit super sedem maiestatis sue: et congregabuntur ante eum omnes gentes: et separabit eos ab inuicem: sicut pastor segregat oves ab hedis: et statuet oves quidem a dextris **suis**: hedos autem a sinistris. Tunc dicet rex his qui a dextris erunt eius: Venite benedicti patris mei percipite regnum vobis paratum a constitutione mundi. Esuriui enim et dedistis mihi manducare. Sitiui et dedistis mihi bibere: hospes eram et colligistis me: nudus et cooperuistis me: infirmus et visitastis me: in carcere eram et venistis ad me. Tunc respondebunt ei iusti dicentes: Domine quando te vidimus esurientem et pauimus: sitientem et dedimus tibi potum: quando autem vidimus te hospitem et collegimus te: et nudum et cooperuimus te: aut quando vidimus te infirmum: aut in carcere et venimus ad te. Et respondens rex dicet illis: Amen dico vobis quandiu fecistis vni ex minimis istis meis fratribus: mihi fecistis. Tunc dicet et his qui a sinistris eius erunt: Descedite a me maledicti in ignem eternum: qui paratus est diabolo et angelis eius. Esuriui enim et non dedistis mihi manducare: sitiui et non dedistis mihi potum: hospes eram et non collegistis me: nudus et non cooperuistis me: infirmus et in carcere et non visitastis me. Tunc respondebunt et ipsi dicentes: Domine quando vidimus te esurientem: aut sitientem: aut

Commented [CN52]: fol.13vb

Commented [CN53]: fol.14ra

hospitem: aut nudum: aut infirmum vel in carcere et non ministrauimus tibi. Tunc respondebit illis dicens: Amen dico vobis quandiu non fecistis vni de minoribus his nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium eternum: Iusti autem in vitam eternam.

Marcus in euangelio capitulo 12. Cum a mortuis resurrexerint: neque nubent: neque nubentur: sed sicut angeli dei sunt in celis. Capitulo 13. Celum et terra transibunt. Idem dicit lucas in euangelio capitulo 12.

Ioannes in euangelio capitulo 5. Uenit hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem filii hominis et procedent que bona fecerunt in resurrectionem vite: qui vero male egerunt in resurrectionem iudicii. Idem in apocalypsi capitulo 3. Ait deus: Si non vigilaueritis: veniam tanquam fur: et nescies qua hora veniam ad te.

Petrus apostolus epistola 2. capitulo 3. et finali. Adueniet dies domini sicut fur: in quo celi magno impetu transient: elementa vero calore soluentur.

Paulus apostolus epistola 1. ad corinthios capitulo 15. Accepi quoniam christus mortuus est pro peccatis nostris scripturas: et quia sepultus est: et quia resurrexit tertia die secundum scripturas. Si christus predicatur quod resurrexerit a mortuis: quomodo quidam dicunt in vobis quoniam resurrectio mortuorum non est. Si autem resurrectio mortuorum non est: neque christus resurrexit. Si autem christus non resurrexit: inanis est ergo predicatio nostra: inanis est ergo et fides nostra: surget corpus spirituale. Caro et sanguis regnum dei possidere non possunt. Omnes quidem resurgemus: sed non omnes immutabimur in momento in ictu oculi in nouissima tuba: canet enim tuba: et mortui resurgent primi incorrupti: et nos immutabimur: oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem et mortale hoc induere immortalitatem. Idem epistola 2. ad corinthios capitulo 5. Omnes vos manifestari oportet ante tribunal christi: vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit: siue bonum siue malum. Idem epistola 1. ad timotheum capitulo 4. In nouissimis temporibus discedent quidam a fide attendentes spiritibus erroris et doctrinis demoniorum: in hypocrisi loquentium mendacium et cautherizatam habentium suam conscientiam prohibentium nubere: abstinere a cibis quos deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione. Idem epistola 2. ad timotheum capitulo 3. et penultimo. In nouissimis diebus instabunt tempora periculosa: et erunt homines seipsos amantes: cupidi: elati: superbi: blasphemii: parentibus non obedientes: ingrati: scelesti: sine affectione sine pace: criminatores: non continentes: immites: sine benignitate proditores: proterui: timidi: voluptatum amatores magis quam dei: habentes quidem spem pietatis: virtutem autem eius abnegantes.

Commented [CN54]: fol.14rb

De religione obseruationis sabbatorum et quarumcumque festiuitatum: Rubrica 39

De iudaica vana religione circumcisionis: Rubrica 40

De iudaica vana religione prohibitionis quarundam specierum ciborum: Rubrica 41

Commented [CN55]: Lemmata absunt in editione

De falsis opinionibus contrariis christiane religionis cognoscendis et damnandis in libris vsualibus christianorum: Rubrica 42

Primo circa essentiam dei.

Tullius de natura deorum libro i. Quidam dixerunt totam de diis immortalibus opinionem fictam esse ab hominibus sapientibus rei publice causa: vt quos ratio non posset eos ad officium religio ducent. Idem inuectiuarum i. catilinarum libro 4. et finali. Ut aliqua in vita formido improbis esset posita: apud inferos antiqui supplicia impiis constituta esse voluerunt.

Statius thebaidos libro 3. Primus in orbe deos timor fecit.

Secundo circa fatum.

Tullius de diuinatione libro i. circa fine. Fato omnia fiunt.

Quidius de tristibus libro 3. capitulo 7. Ratio fatum vincere nulla valet.

Commented [CN56]: fol.14va

Seneca tragediarum in octauia capitulo 19 et finali. Regitur fati mortale genus. Idem de naturalibus libro 3. Ordine fati rerum eterna series rotat. Idem de prouidentia. Scio omnia certa et in eternum dicta lege decurrere: quo fata nos ducunt: et quantumcunque temporis restat prima nascentium hora disposuit. Idem de consolatione ad paulinum. Mutare fata non possumus: stant dura et inexorabilia.

Lucanus libro 5. Nunquam sic cura deorum Se premet vt nostre morti nostreque saluti Fata vacent. Libro 6. Preceps agit omnia fatum. Nec medii dirimunt morbi vitamque necemque. Sed cum morte venit languor.

Quintilianus declamationum 7. declamatione: Fato viuimus: languemus: connascimus morimur. medicina quid prestas nisi vt iuxta te nemo desperet.

Iuuenalis libro 3. satyra i. Distat enim que / Sydera te excipiant modo primos incipiente. / Edere vagitus et adhuc a matre iubentem / Uentidius quid enim quid tullius an aliud quam / Sydus et occulti miranda potentia fati / Serius regna dabunt captiuus fata triumphos. 3. satyra et finali. Fata regunt homines.

Gualterius de castellione libro 3. Fatorum stat ineuitabilis ordo. Euentusque hominum series immobilis artat.

Tertio circa fortunam.

Tullius de diuinatione libro 2. et finali. Mihi nec in deum quid cadere videtur vt sciat quid casu et fortuito futurum sit. Idem in oratione pro marco marcello: Rerum humanarum domina est fortuna.

Quarto circa mundum.

Salomon in ecclesiaste capitulo i. Tetra eternum stat.

Aristoteles de generatione et corruptione libro 2. et finali. Semper continua erit generatio et corruptio et nunquam deficiet. Idem de plantis libro. i. ante medio. Mudus **totalis** est perpetuus: sempiternus: nec cessauit vnquam generare animalia et plantas et omnes suas species.

Commented [CN57]: fol.14vb

Quinto contra animam humanam.

Salomon in ecclesiaste capitulo 3. Unus iteritus est hominis et iumentorum: et equa vtriusque conditio. Quis nouit si spiritus filiorum adam ascendat sursum: et spiritus iumentorum descendat deorsum. Capitulo 9. Mortui nihil nouerunt amplius nec habebunt vltra mercedem. nec opus nec ratio nec scientia nec sapientia erunt apud inferos quo tu properas.

Plinius de naturali hystoria libro 2. capitulo i. Mundum numen esse credi parem: eternum immensum: neque genitum: neque interiturum vnquam.

Aristoteles in ethicorum libro 3. capitulo 7. Nihil adhuc mortuis videtur neque bonum neque malum esse.

Uirgilius in bucoliciis egloga 10. Omnia fert etas animum quoque.

Ouidius metamorphosis libro 15. et finali. Morte carent anime semperque priore relicta Sede: nouis domibus viuunt: habitantque recepte. Omnia mutantur: nihil interit: errat et illinc. Huc venit: hinc illuc: et quoslibet occupat artus / Spiritus: eque feris humana in corpora transit. / Inque feras noster: nec tempore deperit illo. / Utque nouis facilis signatur cera figuris: / Nec manet vt fuerat nec formas seruat easdem / Sed tamen eadem est: animam sic semper eandem / Esse: sed inuarias docebo migrare figuras.

Seneca tragediarum in troade capitulo. 5. Queris quo iaceas post obitum loco. Quo non nata iacent. Idem de consolatione ad marciam: Cogita nullum defunctum malis affici. Illa que nobis inferos faciunt terribiles fabula est.

Plinius de naturali hystoria libro 7. capitulo 59. Omnibus a suprema die eadem sunt que ante primam. Nec magis a morte vllus sensus aut corpori aut anime quam ante natalem.

Sexto circa resurrectionem mortuorum.

Aristoteles de generatione et corruptione libro 2. et finali. Homines non reiterantur in seipsis vt rursus generentur iidem numero. Corruptibile necesse est specie reiterari: numero autem non.